

www.e-rara.ch

Mosaycarum et Romanarum legum collatio

Pithou, Pierre

Basileae, anno 1574

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-653>

Petri Pithoei i. c. notae

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

71
 PETRI PITHOEI I. C.

NOTAE.



NAVIERAM equidem antea fuisse ex priscis scriptoribus aliquem qui cum Moysis legibus Romanas contulisset: ac memini Io. Tiliū antiquæ eruditionis hominem, cum de veterum Iurisperitorum reliquiis sermo esset, narrare solitum, habuisse aliquando se eius operis fragmenta pauca, quibus ille Licinnij Rufini nomen tribuebat, an ex coniectura, an potius ex veteris libri fide non satis scio. Illud affirmare liquet quæ nunc damus ex antiquissima Sequanorum aut Mandubiorum potius bibliotheca in qua per annos octingentos & amplius latuerunt, non esse Licinnij Rufini cuius nomine ad Iulium Paulum in libris nostris consultatio inscripta est: ac, ut quod sentio, dicam, non fuit tanti hæc collectio quæ aut Licinnij aut Iurisperiti alicuius paulo clarioris ingenium & acumen desideraret. Tota illa operæ fuit, sed eius operæ cuius precium iniuria temporis sic incēdit, ut iam nihil fortasse hoc genere tanti videatur. Nam ut concedamus plures veteris iuris P. R. regulas vnus Vlpiani Titulis contineri, sane & illi præterquam quod ab his nostris nomen suum partesque mutantur, vnus, ut ita dicam, genij notionisque sunt, nec tam perspicue representant quid Tribonianus quid collegæ in excerpendis digerendisque & huius & aliorum scriptis sibi concesserint. Qua de re in eo tractatu quem de libris vtriusque iuris pridem delineauimus, plenius disseremus. Nunc de collectore huius libelli, cuius nomen titulumque exemplar ipsum prioribus duabus paginis purum non prætulit, hoc tātum dicere possumus, videri eum Theodosij iunioris temporibus vixisse, & post consulatū quidem ipsius xv. quo demum Codex editus legitur, ex quo hic constitutionem retulit vnā, non omisurus, ut verisimile est, de homicidio non voluntario Valentiniāni singularem legem si tum quoque edita, aut in certum Nouellarum corpus redacta fuisset. Sed de re incerta nihil temere affirmare velim. Illud potius mirer, cur hic idem illam de impudicis legem non ex Præfecturæ Urbanae scriniis, sed ex Theodosiano Cod. pleniorē recitat quam hodie in corpore ipso extet quod hac quidem parte pro integro eiusdem Tiliij beneficio hætenus habuimus. Cæterum quod ad nos attinet, in horum editione veteris libri scripturam bona fide expressimus, retentis etiam leuioribus mendis si quæ varias coniecturas recipere, quibus ne in ora quidem exemplaris locum

dedimus vt sua cuique libera diuinatio liberumque esset iudicium. Quæ inter exscribendum relegendumque occurrerant, in hunc locum reiecimus vnde facile exturbari possent. Nam hunc quidem agrum pro dignitate purgare atq; excolere, hominis est & otio abundantis, & veteris Iuris P.R. cognitione instructissimi,
Nobis non licet esse tam beatis.

AD TITVLVM I.

Si quis perc.] Extat libro IIII. Moyfis, qui Numerorum inscribitur cap. xxxv. Sed quamquam sacrorum librorum interpretatione hic collector vsus sit, nondum mihi satis liquet. Sane quidem plures hodieque extant in vetustioribus archiuis, quarum, vt Augustini verbis dicam, infinita est varietas.

Aliquod uas.] Hoc nomine posteriorum temporum scriptores, omnes fere res complexi sunt quæ nobis inter mobiles atque instrumenta domus numerantur. Sed & veteres in re militari inter contubernia vsurparunt, vnde & Vasa conclamare, & Convasare apud eos legimus.

Sub Tit. ad Leg. Corn.] Extat inter receptas Pauli sententias sub Tit. 23. libro 5. ad quem etiam non erit fortassis alienum hoc loco monere duas priores sententias de circumcisis pertinere, quæ tamen hætenus sub alieno Titulo aberrarunt, vt & alia multa eiusdem operis.

Vt is Prætor iudexue.] Veteris exemplaris scriptura hæc fuit: *ut is Prætor iudexue quæstionis cui sortem obuenerit quæstio de sicariis eius quod in urbe Roma propriis mille passus factus sit Vtique erat cum iudicibus cui ei ex legem sortem ob. in quam quid & cur nobis permiserimus apertum est. Auctorem prætere rea habuimus M. Tullium, cuius hæc sunt in oratione pro Cluentio: lubet lex ea, quæ lege hæc quæstio constituta est, iudicem quæstionis, hoc est Q. Voconium, cum his iudicibus qui ei obuenerint (uos appellat, iudices) quærere de ueneno. In quem quærere? infinitum est, quicumque fecerit, uendiderit, emerit, habuerit, dederit. Quid eadē lex statim adiungit: Recita Deq; eius capite quæritio. Loquitur vero de quæstione veneficij, quæ eundem habuit auctorem & eadem rogatione comprehensa fuisse videtur, sed diuersis capitibus vt hic locus arguit & l. 3. D. ad l. Corn. de sic. quam etiam ob causam sæpius hæc iudicia distinguntur tanquã ex diuersis legibus vt in l. 3. D. de bon. damnat. & apud Martialem eo loco, Non de ui, neque cæde, nec ueneno. Et sane diuersos habuisse iudices diuersosque Prætores verisimile est. Idque Ciceronis verba plane confirmant, si coniungantur cum præcedentibus huiusmodi, Opinor hæc omnia lege fieri, totumq; hoc iudiciũ quasi mente quadã regi legis & administrari. Quid ergo est: hæc quæstio sola ita gubernatur? Quid M. Prætorij
C.*

¶ C. Flamini inter sicarios. Quid C. Orchini peculatus? Quid mea de pecunijs repetundis? Quid alia quaestiones? Vnde fortasse non immerito quis suspicetur in l. 2. §. capta. D. de orig. iur. quod in Pandectis Florentinis deesse videtur, sic potius esse supplendum, Deinde Cornelius Sylla quaestiones publicas constituit, ueluti de falso, de parricidio, de sicariis, de ueneficiis, & Praetores quatuor adiecit. nam iniuriarum quidem iudicium ex lege Cornelia inter priuata ab auctoribus nostris perpetuo relatum est l. 2. & ult. C. de iniuriis. ut pote quod & ciuilitate moueri possit: & in l. Praetor. §. 1. D. de iniur. Cornelia non de iniuriis, sed de sicariis potius exaudienda est, ut & in l. 23. §. si dolo. D. ad leg. Aquil. Nec tamen inficior ex lege Cornelia iniuriarum seruum reum non recipi, sed duriore poena extraordinem affici, & quod ad seruos attingit excedere eam quaestione quodam genere priuatae modum l. 12. §. ult. D. de accusat. Ideoque cum de seruo ageretur in l. 5. D. Si ex nox. caus. ag. haec recte Vlpianus sic coniunxit, *Capitalium actionum iniuriarumque nomine.* Sed haec aliena nec huius loci quaestio est, ac uereor ne iam etiam notarum modum excefferim. Illud tamen addere liceat esse hoc exemplum aliud exercitationis publici iudicij lege delegatae ad l. 1. D. de offic. eius cui mand. est iuris.

Relatis.] Haec sunt collectoris, quae ideo forma literarum a ceteris distingui uoluimus, ut & reliqua omnia quae illius esse uisa sunt.

Coerit compescit.] ut. coerci compesci. & paulo post, pertinet ire haec.

¶ Ut ad seruum & peregrinum.] Cicero pro Cluentio, Vbi omnes mortales alligat lex, ita loquitur, qui fecit, fecerit, omnes uiri, mulieres, liberi, serui, in iudicium uocantur. Omnibus legibus serui rei fiunt, quarum poena in seruos cadere potest l. 12. §. ult. D. de accusat. In seruos etiam admissa delicta legibus vindicantur, adeo ut & ipsi seruo non ad fugillationem domini facta iniuria legibus inulta non relinquatur l. Item apud Labeonem. §. si quis. D. de iniur. l. 6. D. ad l. Iul. de adult. Et tamen illud etiam verum est quod & Fabius libro VI. usurpauit, ad exules, ad seruos, ad peregrinos nullam legem pertinere. Sed haec ex mente uerbisque legum diiudicanda sunt, & potissimum quidem ex subiecta materia. Peregrinus manumittens seruum non potuit Latinum facere. Cur ita? quia lex Iunia quae Latinorum genus induxit, ad peregrinos non pertinet. Praetor tamen non permittebat ita manumissum seruire, nisi aliter lege peregrina cautum esset. Hoc scripserat Iureconsultus quidam, siue is Vlpianus fuit, seu Gaius, seu quis alius, in libro regularum, cuius ego nuper fragmentum magna parte erui ex veteri Glossario Cl. Puteani uiri selectissimae eruditionis & iudicij recti. Quod de peregrino diximus fortasse & ad deportatum non male trahetur l. 2. D. de interdic. & relegat.

si autem.] Extat apud Moysen eo loco quem supra notauimus, extat & de eadem re Nouella Constitutio Valentiniiani, qua fere utimur. Addatur & Numa: lex ex vetustissimo. Seruij exemplari ad illud Virgil. Egl. 4. Ipse sed in pratis aries. Sane, inquit, in Numæ legibus cautum est ut si quis imprudens hominem occidisset pro capite occisi & natis eius in concione offerret arietem. Ergo hic bene uideatur arietem dignitatem dare, dicendo Ipse, qui oblatas homicidam crimine homicidij possit exsoluere. Sed placet etiam Philonis locus ex lib. 1. de vita Moysis, δὲ ἑλέγαν, inquit, ἀνδρῶν αὐτῶν ἐν τῷ δεικνῶν ἡγὰρ ἀμυνέμεν, ἡγὰρ βίαιος οὐκ ἔστιν ἀντιπάλαιος ἐν τῷ δεικνῶν ἀπὸ τῶν ἀνομιῶν ἡγὰρ νόμος οὐκ ἔστιν ἡγὰρ. Placet & ille Plutarchi ex Causalibus, in quo rationem inquirens cur non nisi sacramento adacti militent, τὸ ἄριστον ἐστίν, inquit, τὴν ἀναγκὴν μὴ μὲν ἔχειν ἀναγκὴν δὲ ἄνδρῶν ἀνδρῶν, δὲ ἀνδρῶν ἡμῶν ἡγὰρ τὸ ἄριστον ἐστίν, αὐτῶν ἐστίν.

Rescripto Hadriani.] Refertur & hoc rescriptum in l. 1. §. Diuus D. ad Leg. Corn. de sic. quem cum hoc contulisse non inutile erit.

Sic lapide.] Vetus hæc scriptura propius accedit ad clauis quam clauæ nomen, quod & Græci interpretes retinuerunt libro 60. Basilic. Tit. 39. & 59.

Vi homicidam seruum.] Franciscus Pithecus frater meus, cuius ego ingenius virtutibus digna ex alijs audire malo quam ipse dicere, putat hunc locum sic emendari posse: ut homicidij reum supplicio maiore iubet adfici, nisi qui ita malit, ut homicidam seruum supplicio maiore. Certum est enim, ex persona delinquentis ut crimen, ita pœnam augetur.

Qui hominem.] Reliqua fuit prior pars apud Paulum lib. v. Sent. Titu. xxiii.

Consilium.] Paterculus, Factus, inquit, maiores nostri ad consilium dirigebant. Seneca de Tranquil. lib. 11. Potest conuenire ut faciat aliquis iniuriam mihi, & ego non accipiam, tanquam si quis rem cum e uilla mea subripuit, in domo mea ponat, ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim. Potest aliquis nocens geri, quamuis non nocuerit. Si quis cum uxore tanquam cum aliena concumbat, adulter erit, quamuis illa ad altera non sit. Aliquis mihi uenenum dedit, sed uim suam mihi tuam cibo perdidit: uenenum illud dando scelere se obligauit etiam si non nocuit. Non minus latro est cuius telum opposita ueste elusum est. Omnia scelera & ante effectum (sic legendum) operis quantum culpæ satis est, perfecta sunt. Seruius ad illud Virgil. ex libro vi. Ausi omnes immane nefas. Secundum Romanorum morem dicitur, quo non tantum cœtus punitur, sed uoluntas. Sic & Imp. in l. 1. C. Th. de ambitu τὸ πρῶτον ἐστὶν ἰδίωτον, Pari sorte leges scelus quam sceleris puniunt uoluntatem. Sane in rebus non usque adeo turpibus etiam factum exigitur l. 1. §. bestias. D. de postulando. l. 18. D. de pœnis, quæ pertinet ad edictum. Quod quisque iuris, non ad publica iudicia. Iraque oratoricè magis quam iuridicè ab his ad illa M. Cato pro Rhodiensibus argumentatus est apud Gell, libro 7, capite 3, & rectius quidem Asconius

Pædianus, Quius, inquit, dicit factorum iudex est non futurorum, dumtaxat in ciuilibus causis.

Casu teli.] fuga teli magis quam iactu vt olim in exceptionibus scribi solitum M. Tullius auctor est. Augustin. de lib. arbitr. lib. 1. Nam miles hostem, & iudex uel minister eius nocentem, & cui inuito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi uidentur peccare cum hominem occidunt.

Quod si in rixa.] Extat in l. vlt. D. ad leg. Corn. de sicar. ex qua forrasse hic quoque non male ita legetur, istus quoque ipsos. Cætera cur à Triboniano prætermittenda sint, non est obscurum.

Frater uester.] Ex hoc Antonini rescripto & eo quod proxime sequitur, Gordiani, confecta est à Triboniano l. 1. C. ad leg. Corn. de sicar.

Læticius.] Pro Læto II. id est iterum consule. Nam bis quidem aut ter Consul in notatione temporum non vsque adeo Latine dici uidentur. Et tamen sæpe in ueteribus libris ita scriptum memini.

Quod si dominum.] Quo hæc pertineant non uideo. Extat sane rescriptum quod sequitur in l. 5. C. eod. tit. & hoc esse Diocletiani & Maximiani subscriptio arguit.

Cum quidam.] Leguntur & hæc in l. 4. §. 1. D. ad leg. Corn. de sicar. At neque rescripti neque consultationis uerba adiecta sunt, quibus in hoc genere quod sciam elegantius nihil est.

In quinquennium.] Ponitur & illa lex apud Rhetores, vt imprudentis cædis damnatus, quinquennali exilio multetur, vt apud Quinti. lib. 7. cap. 5. & Declam. 296. & 303.

Consultationis.] Vet. consolationis, quomodo & in optimo Seruij exemplari scriptum est eo loco lib. 3. Aeneid. Augurium est exquisita Deorum uoluntas per consolationem auium aut signorum.

Em.] An hæc emissam consultationem, an aliud quiddam significent non satis scio. Illud fortasse facilius diuinasse uidebor, ista sub finem quæ quis superesse putauerit (Vel res) notas esse quæ ueterem formulam contineant, Velim rescribas: aut potius quando ad principem sermo est, Velis rescribere. Sic apud Plinium sæpe, Rogo rescribas, & infra Vellem mihi rescribere.

Cognouit quod Clodius.] Malim cognoui, & infra, interdixi, decreui, &c.

Dum sago iactatur.] Vet. dum sago iactatur. Sed iam notus est ex Suetonio & Martiale ueterum ludus. Appellatio ipsa non vsque adeo fortassis nota quam ex ueteri Glossario didici, in quo ita est. Sago iactatur.

Culpa Marij Euaristi.] Veteris libri scriptura hæc est, culpa manu Euaristi, quam ideo adnotare libuit quod & hanc coniecturam reciperet, culpante manu Euaristi. excusa tamen magis placuit.

Ad que apparebat.] Huius loci sententiam facile est mente concipere, uerba ipsa sanare difficile est.

Urbe Italiae provincie Veticæ.] Ant. Oiselus meus, de cuius eruditione,

iudicio, rerumque ac iuris prudentia singulari quicquid dixerò minus erit, hunc locum sic malit legere, *urbe Italica prouinciæ Beticæ*, quod mihi quidem facile persuadet, quando & Italicam Beticæ urbem esse vel ex Ptolemæo constat, & prouincia, atque adeo Italia & urbe interdicere delicto grauius non inmerito videatur. Scio tamen non defuturos qui lectionem scriptam magis probent, quam etiam confirmat l. 1. §. 1. D. de effract. & expil.

Recte Egn. Taurine.] *Vet. Recte & Taurine.*

Refert enim.] Sunt igitur illa Diui Hadriani in l. 5. §. ult. D. de pœnis. vnde & hic lubentius ita legerim. *Et sane distinctio hæc pœnam aut iustam prouocare debet.* Iusta, id est legitima, alioqui iustitiam, quæ cum æquitate coniungitur non recte stricti iuris temperamento opponemus l. placuit. C. de iudic. l. 31. §. 1. D. de pœni. Gratia fortasse rectius, vt in l. 17. §. pen. D. ad leg. Iul. de adulter.

Rem facti quis.] *vet. ex rem pacto.* hoc vult, factum non ius.

Geret.] *Vet. ageret.* Extat in l. pen. §. 1. D. ad leg. Iul. de vi publ. Sed nec moribus nostris, qui, occidendi hominis causa telum gerit, utique homicidij pœna punitur: & hac parte lex Cornelia in vsu apud nos esse desit, vt posteriorum temporū Doctores rectè annotarant.

AD TITVLVM II.

Si autem contenderint.] Extat apud Moysen Exod. xxi.

Homo foris.] *Vet. fortis.*

Acceptionis mercedem.] *Cessationis.* hæc vero interpretationem recipiunt ex l. ult. D. de his qui deie. vel effud. & l. 3. D. Si quadru. paup. fec. dic.

Vlpianus libro regularis.] Sic vetus exemp. Ego vero non dubito quin & hæc ipsa & alia quædam huius Eclogæ sint ex libro singulari Regularum Domitij Vlpiani, cui etiam antea semper adscripti titulos illos qui Io. Tiliij immortalis beneficio ante annos aliquot editi sunt. Mouit me præter scribendi rationem, quod cum in Pandectis nostris duo tantum capita ex eo libro reliqua essent, nempe xvii. de testibus, & xxv. de obligat. & actionib. illud quidem totidem verbis inter istos Titulos legitur, alterum cur non extet causa in promptu est, cum & titulus ipse desideretur, vt & alios plures non frustra desiderari hæc collectio indicat, ex qua etiã quosdam supplere, quosdam rectius emendare est. Sunt igitur illi Tituli ex corpore non omnium Vlpiani scriptorum, sed ex corpore libri singularis Regularum, vt & Aemilij Papiniani sententia vnica ex ipsius corpore, id est ex libro singulari Responsorum collecta quæ tanquã purpuræ lamæ centonem illum Gothicum in fronte deturpat magis quã honestat.

Iniuria siquidem.] Hæc pertinent ad iniurias rerum, id est quæ re fiunt membro rupto vel osse fracto, & ad honorariam earum poenam de qua in §. poena. Instit. de iniur.

Adque collegi.] An idque collegi ex facto, quod verius est. Ex facto autem dicitur quia de illis iniuriis loquitur quæ re fiunt, ut proxime monuimus. Nam & iniuriarum atrocitas ex aliis etiam circumstantiis æstimatur.

Papianus.] Sic in vetustissimo exempl. constanti fide scriptum est. Sic & in Aniani Breuiario. Sane à Græcis non nisi Papianus scribi solet, & ab ipso Iustiniano Nou. 4. & 108. à Latinis frequentius Papi nianus dicitur.

Per hominem.] Certum est iure P. R. filios familias noxæ dedi potuisse, nec eos modo sed & filias §. vlt. Inst. de nox. act. Ea fuit patriæ potestatis auctoritas, quam & Papiniani temporibus eo usque valuisse hic locus indicat. Cuius etiam iuris vestigia quædam reliqua sunt in Pandectis. Vnum hic indicasse sufficiat in l. 3. §. Si eum quis. D. de liber. hom. exhib. De his verò & illa circa propria ac differentia subtilitas, quam ut magnam Quintilianus proponit de addictis, seruire sint an liberi. Ego quidem seruire utrosque dixero, nec impari multum iure l. 33. & seqq. D. de nox. act. Neutros tamen seruos dixero, ut nec eum qui redemptus ab hostibus, redemptionis pretiū nondum exsoluit. l. 2. C. de postlim. reuerf. Sunt verò hæc inter se longe diuersa & in seruis etiam ipsis sæpe distinguuntur. l. 27. §. de eo. D. ad l. Iul. de adult. l. 18. D. de nox. act. l. 24. de vsufr. leg. Nam & e contrario serui sunt quidam reuera, nec tamen seruiunt: & aliud est liberum, aliud in libertate esse, ut recte Quintilianus differit declam. 340. & 342. Tanta est rerum verborumque differentia in causis libertatis. Huiusmodi sunt iure nouo Coloni l. 1. de colon. Thrac. in legibus Langobardorum Aldij l. 4. de prohib. alien. ser. & iure nostro qui manus mortuæ dicuntur. Sed placet exemplum veteris iuris non usquequaque vulgare, quod me docuit auctor ille Regularū, quem Puteano nostro debere dixi. Apud veteres inter amicos manumissi, seruiendi tantum metu dimittebantur, manebant serui, & manumissores audebant eos in seruitutem denuo per vim ducere. Ideoque recte Massenio seruus apud Plautum in Menæch. inter amicos manumissus, Meliore, inquit, opus est auspicio liber perpetuo ut siem. Intervenibat Prætor & non permittebat seruire. Postea habuerunt propriam quandam libertatem ex lege Iunia quæ exæquauit eos Latinis colonariis (quos ego ad nouū ius Latij refero. Nam & vetus fuisse aliud Seruius notat, & illæ singulares literæ apud Valerium Probum confirmant, C. L. P. R.) effecitque liberos, negato tamen vltimæ voluntatis arbitrio, ut Saluianus Timothei nomine scripsit lib. 3. ad Eccles.

cathol. & probat l. 1. C. Th. de petitione heredit. & Gaius lib. 1. Instit. qua de re alibi plenius. Ita post legem Iuniam inter amicos manumissi, nec seruiunt, nec serui sunt, sed libertini: non iustæ tamen nec solidæ libertatis, vt & Seneca in lib. de beata vita significat. denique seruorum liberi & liberorum sunt spurij, vt ait l. 2. C. Th. ad S. C. Claud. Ergo vt ad rem redeam, liber homo noxæ deditus seruit, & ei acquirit qui deditum accepit. Verum si tantum adquisierit quantum damnatum datum est, liberatur, cogiturque is qui deditum accepit, ipsum manumittere. cogitur autem à Prætoribus: sed fiduciæ, in iudicio non tenetur. Quid est hoc? An significat fiduciæ iudicio non posse cogi manumittere, cum videri posset hoc ab initio quodammodo actum per fidem taciti contractus, vt litis æstimatione accepta deditum dimitteret: quemadmodum seruatur in eo qui suis nummis redimitur l. 3. D. de obseq. parent. vel patron. præstand. l. 4. §. 1. D. de manumiss. sed auxilio & officio Prætoris id fieri, vt de seruo Iustinianus paulo dilucidius scripsit in §. 1. Instit. de nox. act. An vero quia manumissionem liberi hominis præcedit mancipatio, in qua fiducia interponi solet (ex parte quidem emptoris aut reuendendi remancipandique, aut etiam interdum manumittendi: ex parte verò mancipantis de indemnitate fiduciarij ob impensas ipsius actus, vel etiam ob actiones noxales, ceterasque eius generis quibus alioqui ex persona liberi hominis teneri posset) hoc potius Papinianus significat, eum qui sibi noxæ deditum manumittit fiducia non teneri, quia non sponte manumittit: vt nec alias qui factio alterius coactus vendit, de euectione teneri solet nisi ex suo facto? Sed hoc fortasse subtilius est. Illud non minus, An filiusfamil. ita manumissus, in patris naturalis potestatem recidat, si quidem legi XII. tab. trina mancipatione satisfactum non est. Nam sane accepto pretio vendere non minus est quam aut non defendere, aut noxæ dedere. & est quod hic filio magis ob noxiam imputetur. Ita frustra queratur hoc casu, an is qui noxæ deditum auxilio Prætoris manumittit, iura sibi legitimæ successione acquirat, quod forsitan non frustra queri videretur in ceteris liberis qui vna manumissione sui iuris fiunt, si per omnia liberorum hominum manumissores patronis exæquarentur, & non edicto Prætoris enumeratæ essent certæ personæ. Et hic profecto neque gratuitum neque reueræ beneficium præstat, cum cogi possit, & nihil amplius quam operam suam vel inuitus accommodat, quasi pretio recepto factaque noxa l. vlt. D. de obseq. parent. Hæc sunt eius iuris quod ille apud Gellium cum lance & licio euauisse dicit, cuius tamen cognitio quanti sit momenti in ceteris partibus, ij demum intelligunt qui riuis & castellis ita vtuntur vt fontes ipsos non negligant.

Rupisse.] Extāt hæc in l. 24. §. rupisse. D. ad l. Aquil. sed verbis aliquantulum mutatis: ac vere orne illa etiam quæ sequuntur, *Aquila enim eas duntaxat ruptiones quæ damna dant. persequitur* (sic enim reponendum arbitror) non sint Vlpiani. Sane nec ea collector hic agnouit, qui alioqui aut continua diuidere, aut diuisa continuare non solet.

Paulus libro singulari.] Quonam? De iniuriis. Sic sequentia vtcunque suadent. Atqui nullus hoc titulo liber Paulo tribuitur in eo indice qui Pandectis præfixus est, in quo alij quidam notantur ex quibus nihil desumptum legimus. Et tamen hunc ipsum habuere compositores qui hæc ad verbum transfulerunt in suas Institutiones sub tit. De iniuriis, quem cum hoc loco cōferre cui libet, licet, & ex eo quod hic deest, supplere. Quod autem sequitur, sic fortasse non male restituetur, *Commune enim omni ei nomen iniuriæ est, quod & Francisco fratri charissimo suboluit.*

Labeo.] l. 15. D. de iniuriis.

Qui iniuriam.] hæc sunt verba legis ipsius XII. tab. in quæ sibi quisq; pro arbitrio licere existimet. Quod sequitur de seruo & libero, valde corruptum obsecrumque est. Ego pertinere censeo ad illud legis caput quod de grauioribus iniuriis fuit, quarum æstimatio hæctenus frustra quæsitā hinc fortasse non male disci poterit. Nam omnes quidem huiusmodi iniurias non esse talione vindicatas, vel vnus A. Gellij locus arguit, apud quem cum Phauorinus dixisset, *Nonne tibi quoque uidetur nimis esse dilutum, quod de iniuria puniendā scriptum est, SI INIURIAM ALTERI FAXIT XXV. AERIS POENAE SVNTO?* Quis enim erit tam inops quem ab iniuriæ faciendæ libidine (sic legendum ex veteribus libris) XXV asses deterreant? respondet noster Africanus non omnes iniurias istis assibus quamvis librariis vindicatas. Sed iniurias (inquit) atrociores ut de osse fracto, non liberis modo, uerum etiam seruis factas impensiore damno vindicant: quibusdam autem iniuriis talionem quoque imposuerunt. Fuit vero & alius eiusdem legis articulus de iniuriis, quo capite vindicabatur si quis carmen condidisset, quo alteri infamiam flagitiumve faceret. Fustis pœna, cuius Horatius meminisse videtur, nulla, vt opinor, fuit: & poetice dictum est cum significare vellet, abstinuisse pœnæ metu, tracta à canibus similitudine, vt & Helenio Acroni suboluit. Quin & histriones ipsos immunes verberum Augustus ipse responderat, quod Tacitus lib. 1. Annalium Tiberium sequutum refert, Quæ statuitur pœna in l. 5. §. si quis. D. de Iniuriis, putatur esse ex lege Cornelia. Sed est magis ex ipsa lege Iulia, ex S. C. tamen esse dicitur in l. 1. D. de testib. l. 18. §. vlt. D. qui test. fac. poss. Lex Cornelia ex tribus causis actionem dedit, quæ longe aliæ sunt. Sane Arnobius lib. 4. aduers. gentes ob conuitium petulans formulam ex edicto dari significat, & verissimum est, Qui locus reuocat mihi in

memoriam alium quendam non dissimilem M. Vellij Paterculi (sic enim apud Priscianum scribitur) ex posteriore volumine qui in B. Rhenani editione ita conceptus est. Primus ille & utinam ultimus (de Sylla loquitur) exemplum proscriptiois inuenit, ut in qua ciuitate petulantis conuictij iudicium historiarum ex alto redditur, in ea iugulati cuius Reipublicæ constitueretur auctoramentum, plurimumque haberet qui plurimos interemisset, nec occisi hostis quam ciuis uberius foret præmium fieretque quisque merces mortis suæ. Quid alij supposuerint referre nihil attinet: ego sic lubentius legerim, Petulantis conuictij iudicium iniuriarum ex albo redditur. Iniuriarum nomen generale est, & habet sub se species multas. Nam est iniuriarum iudicium ofsis fracti, & membri rupti, & carminis famosi. Itaque iuridice loquitur qui dicit, Iniuriarum petulantis conuictij iudicium, vt legis Aquiliæ hominis occisi &c. & leuiorem speciem iniuriæ complexus est quam summæ crudelitati opponeret, fortasse non omissurus & ipsius Syllæ legem si hanc quoque iniuriæ speciem complexa esset. Grauius Seneca Corneliam de ficariis auctori obiecit, cum de eadem re ageret in libello de diuina prouidentia. Videant (inquit) largum in foro sanguinem, & supra Seruilianum lacum (id enim proscriptiois Syllanæ spoliarium est) Senatorum capita, & passim uagantes per urbem percussorum greges, & multa milia ciuium Ro. uno loco post fidem, immo per ipsam fidem trucidata. Quid ergo? Fœlix L. Sylla, quod illi descendenti ad forum gladio submouetur? quod capita consularium uirorum patitur ostendi, & precium cedis per quæstorem ac tabulas publicas numerat? Et hæc omnia facit ille qui legem Corneliam tulit. Quæ posteriora verba suadent vt apud Paterculum pro Reipublicæ legam non Romani (quis enim non hoc superesse uideat?) sed e Publico: vt respondeat illis, per Quæstorem & tabulas publicas. Sed & paulo post ita legendum, Nec tantum in eos qui contra arma tulerant, sed in multos infontes sæuitum, adeo perspicuum est vt probatione non indigeat.

Qui autem iniuriæ in quid aget.] Sic vêt. malo inquit, vt ad Prætorem referatur. l. 7. D. eod.

Et taxationem.] Esse hoc legum verbum Iustinianus dixit No. 82. Pertinet verò hic locus ad id quod idem scribit de æstimatione iniuriarum a Prætore permessa in §. pœna. Inst. eod. tit.

Quanti uadimonium.] si quidem satisfactio ipsa vel cautio iudicio fisci certam summam continet. nam & interdum ita uadimonium concipitur, Quanti ea res erit. de uadimonio etiam in actione iniuriarum locus est in l. si eum. §. qui iniuriarum. D. Si quis caut.

Vnam nominis suo re destinare.] Non inficior ad hanc veterem scripturam propius ita legi posse, Vnam nomini suo rem destinare, sed illud malim Vnam nomine suo rem designare.

Non uocem agentis.] Vocatio in ius actionis editionem præcessit, sequuta est ipsa actio litisque contestatio. Immo & in iure ad album plerunque

plerunque actio edi solebat. Itaq; recte Iustinianus omnium actio-
num instituendarum principium ab ea parte edicti proficisci ait, que
est de in ius vocando. quem & ipse ordinem in vetere iure digeren-
do religiose sequutus est.

Quod Auli.] Hoc fuisse solemne verbum in formulis actionum, &
alij notarunt & hic locus plenissime probat. Sic & apud Fab. lib. 6. c.
8. Colaphum tibi ducam, & formulam scribam Quod caput durum habeas. Exempla
sunt ex libris nostris præter iam notata in l. 17. §. 1. D. de in rem verf.
l. 2. D. Quod ius. l. 133. D. de verb. oblig. l. 21. §. ult. D. de negot. gest. l.
47. de ædilit. edict. l. ult. D. si quadru. paup. fe. di. l. 26. §. neque D. de
nox. act. l. 1. §. an pater. D. de fur. l. 1. §. si is qui nauem, & l. 5. D. de exer
cit. act. Fuit & in exceptionum formulis vsitatum, Quod præiudiciū
non fiat, Quod metus causa. Inst. de excep. Quod non vi l. 1. §. 1. & §.
deniq; l. 7. §. bellissime. & §. seq. D. Quod vi aut clam. l. 1. §. sunt qui.
D. Ne quid in loco publ. Quod facere possim l. 7. & l. 14. in fine D. de
except. & infra Quod rem sestertiorum &c. Sed & in conceptione sti
pulationum, Quod ego decem credidi. l. 47. D. de rei vind. l. 42. D.
de fideiuss. l. 1. §. si manumifero. D. Quar. rer. act. non dat. l. 8. §. 1. D.
de pignorat. act. l. 122. §. Flavius. l. 135. §. Seia. de verb. oblig. l. 15. D. de
acceptil. l. 58. D. de rei vindic. Quo pertinent & illa in testamentis
quorum exemplum extat in l. 19. D. liberat. leg. Vnde & apud Cice-
ronem in orat. pro Quintio illa verba, ut sibi Quintius iudicatum solui sa-
tisdet ex formula, Quod ab eo petat &c. non modo ad actionis sed & ad sa-
tisfactionis formulam referri possunt, & melius quidem quam ad edi-
ctum ipsum, quamvis constet ad exemplum etiam edicti actiones
fere conceptas. Illud fortasse non vsque adeo obuium, in concep-
tione formularum non semper Caium Seiumque, aut Titium ac Ma-
uium, sed & Agerium actoris, Nigidum rei nomen sustinuisse. cuius
moris in acceptilationis Aquilianæ formula reliquæ extant: & in l.
tutor. §. 2. D. de vsur. Agerio Gaius Seius coniungitur. Sed de tota ea
veteris iuris parte expectamus votis multis tractatum quem B. Bris-
sonius celeberrimum ingenium fori nostri iam pridem pollicetur,
cui vtinam ea rerum prolatio tandem aliquando volenti eueniat,
quam summa ipsius eruditio ingenique singularis dexteritas me-
reretur, & studiosorum vtilitas expostulat.

Mala.] Vet. mola.

Causa mortis.] Hęc sententia indicat iure P. R. non fuisse certum die-
rum numerum, sed hoc totum quæstoris & iudicum arbitrio per-
missum. Pertinet vero magis ad titulum proximum nisi quod de li-
bero homine loquitur. Nouum vero non est in huiusmodi eclogis
esse quædam capita fugitiua: qualia multa in libris nostris Doctor
meus adnotauit, quibus & hæc addi possunt, l. 1. & 2. D. de cess. bon.

l.3. D. Qui per tut. l. vlt. D. de loco publ. l. 4. C. de probat. Sane in l. Labeo, in fi. D. de statulib. quod ex Pactumeio Clemēte traditur, ad titulum nō satis pertinet, nisi ex priori dictione repetita syllaba cum superioribus coniungatur hoc modo, *dedisset. & Pactumeius Clemens &c.* At in l. 5. §. vtrum D. si vsufr. per. quod Vipianus adiecit *non seruitutem*, quamvis a proposita quæstione alienum videatur, ideo tamen adiectum est, ne sententiam Iuliani de seruitute probasse argueretur. quod alias fortasse amplius exponemus.

A D T I T. I I I.

Si quis.] Ex d. xxi. hanc vero dierum interpretationem Constantinus sustulit in l. 1. C. de emendat. seru. vt & Zeno in l. penult. C. de incest. nupr. à Moysis lege non nihil recessisse videri potest.

Nisi id dolo fiat.] Hoc igitur casu reus erit dominus homicidij: sed punietur tanquam homicida serui; non vt homicida liberi hominis. Punietur autem ex lege Cornelia non ex plebiscito.

Si dominus.] Extat & in l. 2. D. de his qui sunt sui vel al. iur. & in Instit. mutatis etiam nonnullis, quæ nihil necesse putauimus singillatim notare.

Dominorum.] Non fuerunt ante has Constitutiones impunitæ dominorum in seruos iniuriæ. Nam Seneca lib. 3. de benef. Potest, inquit, seruos dare beneficium domino si ab eo potest iniuriam accipere. Atqui de iniuriis dominorum in seruos qui audiatur positus est, qui & seruitiam, & libidinem, & in præbendis ad uictum necessariis auaritiâ compefeat. Lege quoque Petronia dominis potestas ablata est suo arbitratu seruos dandi ad depugnandas bestias l. 11. §. vlt. D. ad l. Cornel. de sic. Sed & apud Græcos seruorum fortunæ humaniter consultum Athenæus eleganter ostendit lib. 6. Dipn. capite 7. prolatis in ea rem Hyperidis, Lycurgi & Demosthenis verbis.

Infamiæ iniuria.] Sic vet. & fortasse recte si ad impudiciam referatur.

Fraudem fecerit.] veluti si cum emptore pactus sit vt seruum redhibeat. Theoph.

Diuis etiam Hadrianus.] Spartianus in eius vita, *Seruos, inquit, a dominis occidi uctuit, eosque iussit damnari per iudices si digni essent.* Diuis etiam Marcus domino seruum accusare permisit vt Gaius notat lib. 1. Inst. l. seruos, D. de accusat. De seruorum vero criminibus cognoscebat Romæ quidem Præfectus vrbi, in prouinciis Præfides, vt idem auctor est, & probat l. 1. §. si quis seruum. & §. quod autē. D. de off. P. V. l. 24. §. vlt. D. de pig. act. l. 9. D. de manumiss.

Itaque & ipse.] Hic locus valde corruptus est, & fortasse non infelicitate ita restituetur, *Itaque & ipse curare debes iuste ac temperate tuos trahere, ut*

Et facile requirere eos possis, ne si apparuerit uel imparem te impendiis esse, uel atrociorum dominatione seuitiam exercere, necesse habeat Procos. V C. ne quid tumultuosius contra accidat; præuenire te; Et ex mea iam auctoritate ad alienandos eos compellere. Clabrone Et Omullo Cons. Cuius loci emendationem aliqua ex parte Nic. Fabri viri optimi indicio acceptam referre non ingratum est.

Requirere.] fugitiuos scilicet.

Ad alienandos.] bonis conditionibus. itaque iusto pretio vendere compelletur arg. l. 4. §. 2. D. de in di. addict. & de euictione cauere: quam vis alias nemo cogatur rem suo precio vendere, & qui inuitus vendit, de euictione non promittat l. 8. §. ult. & l. seq. D. de act. rer. amor. l. 35. §. petitor. l. 70. D. de rei vindic.

Gregor. lib. XLIII.] Hic numerus mihi valde suspectus est.

AD TIT. IIII.

Quicumque.] Leuit. xx. Deuteron. xxii. Exod. xxii.

Prioribus legibus pluribus abrogat.] An derogat, ut Vlp. dixit de lege Aquilia, an potius obrogat? Nam & sic apud Liuium ubi vulgo scriptum legitur lib. 9. Et quia ubi duæ leges sunt, semper antiquæ abrogat noua, in vetustiss. exemplari scriptum lego, obrogat: & apud Lactant. lib. 6. diu. Inst. sic Ciceronem scripsisse alias monuimus, huic legi neque obrogari fas est, neque derogari ex ea aliquid licet, neque tota abrogari potest. Verum reperio veteres quoque ita loquutos. Auctor libelli de viris illustribus. Mimitio, inquit, Ruffo Trib. legibus suis abrogante, & paulo post de Apuleio Saturnino, huic legi multis nobilibus abrogantibus. Ouidius 2. de Tristib. Et nimium scriptis abrogat illo meis. Sed Modestinus noster longe apertius in l. 102. D. de verb. signif. Abrogatur legi cum prorsus tollitur. Itaque veterem scripturam non temere violandam censeo: quamvis, ut verum fatear, & in illis Plinij locis obrogandi verbum lubentius repositurum.

Secundo uero.] Hoc caput sic restituo, Secundo uero capite permittit patri, se in filia sua quam in potestatem habet, aut in ea quæ eo auctore cum in potestate esset uiro in manum conuenere adulterum domi suæ generiue sui deprehenderit, inque eam rem socerum adhibuerit, ut is pater eum adulterum sine fraude occidat, ita ut filiam in conuenti occidat. Quod ait, inque eam rem socerum adhibuerit, videtur pertinere ad filiam quæ eo auctore cum in potestate esset, uiro in manum conuenit. Cuius iuris quod iam in manum conuentio euanuisset, nulla sunt, quod sciam, in hoc tractatu apud Iustinianum vestigia. Nam quod Vlpianus ait in l. 23. §. 1. D. eod. ad priorem illam capituli partem non pertinet.

Ait, in potestatem.] Sic, vet. atque ita etiam M. Tullium locutum Gellius auctor est lib. 1. cap. 7.

Sine fraude.] Sine periculo, impune, vt ex iure Seruius norat, qui & illud addit ad xi. Aeneid. in optimo libro meo, Fraudem veteres pœnam vocasse ab eo quod præcedit id quod sequitur: citatque hoc M. Tullij ex Cornelianis, *Ne fraudi sit ei qui populum ad concionem uocarit.* quod in editis exemplaribus frustra quæretur.

Inuidia uitem.] Sic ver. lib. Sed nemo nõ fateatur sic potius scriptum à Paulo, *In uidua autem.* Quod si verum est, sane fateamur in occisionem filia vidua patrem habuisse ius præcipuum, siquidem & hoc ius sic recte exprimitur. At in accusationem filia vidua non habet pater ius præcipuum l. 22. §. 1. D. eod. Ius vero præcipuum in eo etiam est vt intra sexaginta dies eius voluntas expectetur, nec vlli alij interea agendi potestas fiat l. 14. §. 2. D. eod. itemque vt iure patris accusans non facile calumnia pœna adficiatur, qua de re mox dicetur.

Auctoritate quoque.] legi potest, *Auctoritate quoque paterna,* potest & sic, *Auctoritate quoque legis patrem posse interficere uel Consularem uel patronum suam si in filiam.* Pertinent vero hæc ad interpretationem eorum verborum *Eum adulterum:* circa quæ & idem olim ex sententia legis quæsitum est. Sed verba ipsa cõditionem adulteri non distinguunt l. 24. §. 1. D. eod. tit. Papiniano quidem in patronum durum visum est l. 38. §. penult. forsan quod ad ius mariti attinet, cuius impetui & calori minus lex concessit quam paterni nominis pietati. Atque hæc quidem ita temperari possunt. Placet tamen Cl. Puteani coniectura qui hunc locum sic potius emendat, *Vel Consularem uel Prætorium si eum in filiam adulterum deprehenderit.*

Si ex interuallo.] veteris libri scriptura hæc est *Sed interuallum filiam int. t. e. nisi persequatur illum interfecerit.* Continuationem enim animi uidetur legis auctoritatem fecisset. Huc pertinet l. 23. §. vlt. & l. 32. D. eod. Auctoritate legis dixit vt & Alexander in l. 4. C. eod. tit.

Secundum leges.] Ex legis Iuliae verbis quæ filiumfam. maritum ab eo qui sui iuris est non separant. l. 6. §. 2.

Auctoramento rogati.] De auctoratis alibi diximus, Sed quæri possent vnde origo verbi. Ego ad illud Plutarchi problema lubens refero cuius & superius meminimus, vt ne viderentur priuato iure contra fas arma tractare, sacramento quodam & religione in eam rem auctoratos esse.

Quo loco & deditus.] Si de libertino dediticio accipias, frustra adiectum videbitur. Ego deditium potius accipio liberum hominem noxæ deditum, cuius inter seruos & libertos media quædam conditio est. Et videntur veteres iuris auctores nomen ab eodem fonte sic variasse ambiguitatis discernendæ gratia, Quod & in aliis factum Sosipater notauit in Grammaticis,

Diuum Marcum & Commodum.] l. 38. §. Impp. D. eod. tit. Illud non erit alienum hoc loco annotare, quod Diui Marci & Commodi rescriptum extat in l. 14. D. de off. præf. Diuis fratribus passim tribui. l. 13. §. vlt. D. eod. & l. penult. D. de lege Pomp. de parricid. Nam & Verus Commodus dicebatur. sed hic Commodus M. F. exaudiendus est.

Magnus Antoninus.] Caracalla, qui corpore Alexandri Macedonis conspecto Magnum atque Alexandrum se iussit appellari.

Pepercit.] Sic & Vlpianus dixit ignosci marito in l. 3. §. si maritus. D. de SC. Silan. At ego à D. Pio vltimum quidem supplicium remissum, pœnam tamen interrogatam video, sed molliorem d. l. 38. & l. 1. §. vlt. D. ad leg. Corn. de sic. Et hoc quoque parcere atque ignoscere est. Tandem vero ferrum maritis in omnes porrectum est Nouella const. Maioriani de adulteriis, quam & plerique omnes populi adprobarunt. Cuius iuris vestigia quædam notasse memini inter ea fragmenta quæ discordantium canonum Concordiæ nomine Gratianus collegit 33. q. 2. can. Inter.

Qui iure.] Iure mariti sine calumnia vir accusare potest, l. 37. D. de minoribus. Notandum est quod ait. potest. Nam & potest calumniæ pœna victus adfici. Et hoc est quod dicitur, Iure mariti accusantem calumniæ periculum non euitare, & sine periculo calumniæ non posse agere. l. 4. §. vlt. & l. 3. D. ad leg. Iul. de ad. videlicet si euident eorum calumnia apparuerit. Verum non facile ei hoc iure accusanti calumniæ pœna irrogabitur, vt fit in eo. qui iure publico accusat. l. 15. §. lex. D. eod. l. 2. C. Qui accusar. non poss. Sic hæc διαφωρία temperanda est.

Sine calumniæ pœna.] Calumniatoribus siue ex lege Remmia seu qua alia frontem inuri solitam constat. Sed quæ fuerit illa litera iam diu quaesitum est, de quo nihil habeo certius quàm quod Iulianus in Antiochico sic scribit, *ἀτα, ὅς ἐν τῷ πάροισις μὲν πολλοὶ μὲν δεισχεῖναι καὶ ὅτι πολλοὶ τῷ κ. τῷ θ. δὲ ἑμῶς ἕσεισι τὸ ναππα, καὶ ἑμῶν γὰρ οἱ πολλοὶ τῆς θ. τῆς πδλιως θεοὶ διπλοῦ δειν, ἐπὶ πρὸς τὸ τοῦ τὰς ἀστυγέτονας ἐσυναφαντήτατι πδλῆς ἑρῶς ἢ ἑμοδδῶς ἐμολ.* Quod si quis putet Græcorum esse illud K, discat & veteres Romanos Kalumniam scripsisse non calumniam, & hac quoque litera pro singulari vsos cum idem significare vellent. hoc & Terentius Scaurus, & Velius longus, & Diomedes de Orthographia tradidere. sed propius ad Iulianum Isidorus lib. 1. Eth. de noris iuridicis disserens, per duo KK calumniæ causa significari scribit. Fabius quoque lib. 1. Inst. ipsam nominum notam esse ait. Et quando totus ille Fabij locus mirum in modum deformatus est, operæ precium fecero si hic eum integriorem adscripsero. K, inquit, & ipsa quorundam nominum nota est & Q. cuius similis effectus specieque (nisi quod paullulum à nostris obliquatur) Kappa apud Græcos, nunc tantum in numero manet, & nostrarum ultima qua.

in careere potuimus quam p̄si non quærimus. Quæ si quis cum impressis conferat, facile intelliget quid nos in eis restituendis cum ex veterum librorum scriptura, tum ex non incertis coniecturis præstiterimus. Sed quid vetat & Velij locum ex Puteani nostri codice adicere? Est enim sane quam elegans, necdum, quod sciam, integre à quoquam editus. Sic igitur Longus. Hinc supersunt ex multis K. & C. & Q. de quibus quæritur an scribentibus sint necessariae. & qui K. expellunt, notam dicunt esse magis quam literam, qui significamus Kalumniam, Kaput, kalendas. hac eadem nomen Cato notatur. non magis igitur in numero literarum esse oportet, quam illam notam 7. qua Centuria. & quam 3 conuersum quo Caia significatur: quod notæ genus uidemus in monumentis. cum quis libertus mulieris ostenditur. Caias enim generaliter aspicias omnes mulieres accipere uoluerunt. Vbi pro Catonis, kæsonis nomen ex Scauro reponendum est. Sed & illud, Aspicias, vereor ne non pro Auspices scriptum sit. Pertinet enim is locus ad veterem nuptiarum ritum quo auspiciis adhibitis Caius. Caiam ducebat, & verisimile est quod Plutarch. in artiois scribit, ἀσπύωντος τῆς νόμφης hæc uerba præcuntes suggestisse Vbi tu Caius ego Caia, ad auspices esse referendum. Sane Fabius cum de Caiæ nota idem tradidisset, subiecit, Quia tam Caias uocitatus esse quam Caios ex nuptialibus sacris apparet. At nos iam paulo longius quam par fuit fortasse excucurrisse uidebimur. nulla tamen homini studioso discendi occasio inportuna esse solet. & nobis hoc saltem luxu interdum genio indulgisse, condonabitur.

Ut libertinus.] patronum ex lege Iulia publicorum iudiciorum l. 8. in fine D. de accusat. vel quemlibet si rem sestertiorum triginta milium, aut filium non habeat, ut proximo responso continetur.

Aut minor.] Hoc est ex uerbis legis ipsius Iulie de pudicitia l. 35. §. lex Iulia. D. eod.

Qui sine connubio.] Connubium est ius legitimi matrimonij, ut recte Seruius definit. Itaque cum peregrino connubium non est. Seneca lib. 4. de benefic. Promisi tibi filiam in matrimonium: postea peregrinus apparuisti. Non est mihi cum extraneo connubium. Itaque iure mariti peregrinus non accusat. sed accusat tamen iure quodam hominum uerbi est ἡμοδοξίας, ut Africanus eleganter ex Homero arguit in l. 13. §. 4. D. eod. nec ei opponetur infamia, quæ alias iusta fuit exceptio etiam in ciuilibus causis. §. ult. Inst. de except. nō hæc, Quod libertinus rem HS XXX aut filium non habeat, quæ una fuisse uidetur ex illis præscriptionibus legis Iulie de adulteriis & maritandis ordinibus, de quib. in l. 15. §. penul. D. hoc tit. aut fortassis etiam legis Iulie & Papie quod ad filium adinet. Nam priuilegia liberorum ex illis fere sunt legibus. l. 2. D. de minorib. Denique nulla præscriptio obicitur suam iniuriam vindicanti. Immo & hodie cessant omnia illa præstigia uerfuti iuris, ut ait l. 28. & l. 32. C. hoc tit. Est & de præscriptionibus ex lege Iulia

locus in l. 3. D. de accusat. vbi hæc verba *Præscriptione utetur*, sic accipio, vterar exceptione mulier. Ne in præiudicium seruus aut accusetur aut torqueatur, l. 33. D. ad leg. Iul. de adult. in qua idem omnino rescriptum referri existimo. Cui consequens est eo casu. à muliere nupta initium accusationis fieri.

In uxorem adulterium.] vet. ex. *adulterium*, male. Sane de sponsa quæstio est, quæ simplicius ita definitur: In sponsam adulterium iure mariti vindicari non posse ex lege Iulia quæ de vxore & nupta loquitur: Diui tamen Seuerus & Antoninus rescripserunt etiam hoc vindicandum, & ex hoc rescripto quasi sponsa iure quoque præcipuo accusatur, l. si vxor. §. Diui. iuncto §. si minor. in fine. D. ad leg. Iul. de adul. Atque ita intelligenda videtur l. 9. C. eod. tit.

Papianus libro sing. de adulter.] Hic liber continuit responsa quæ ad legem Iuliam de pudicitia pertinebant. Sed & alios Responsorum libros Papinianus scripsit de variis consultis.

Aut eo auctore.] vet. lib. *aut cum auctorem*. Ergo non qui iure præcipuo accusare potest, & occidere potest. Sed nec qui occidendi ius habet, ius præcipuum in accusationem habet, vt in vidua dictum est. Ceterum hic locus arguit, emancipatam filiam iure patris accusari posse, quamvis vidua non possit. Scæuola tamen cum de iure patris ageret, eam posuit quæ in potestatem esset l. 14. §. pen. verum in his quæ simul consistere possunt, non qui vnum dicit & alterum tollit: & est Muciani ingenij de iure aperto præcise ad propositum respondere, vt in l. 34. §. vlt. D. de pignorib. si modo Florétina scriptura retineatur.

Cum patri lex regia.] Atqui ius patriæ potestatis moribus receptum dicitur l. 8. D. de his qui sunt sui vel al. iur. Sed non est nouum quæ veteribus primùm legibus introducta sunt, moribus adscribi, maxime cum de vtendi ratione agitur, quæ tota ex moribus pender. Sic & substitutio pupillaris quæ iure potestatis fit, moribus fieri dicitur. Sic furiosis & prodigis ex XII. tab. curator datur, at moribus fit interdictio, quæ & ipsa ex lege XII. tab. fieri dicitur. Et sane quædam sunt iura patriæ potestatis, quæ non tam ex verbis ipsis legis, quam ex interpretatione & auctoritate prudentium quasi per consequentiam, aut ex pluriū annorum obseruatione tacito populi consensu obfirmata manarunt. At potestatem ipsam vitæ necisque in liberos ex lege Regia esse hic locus aperte confirmat. Quod & Dionys. Halicarnas. tradit, & Vlpianus noster in XII. tabulas translatum testatur, vt pleraque alia ex Regum legibus. Frustra vero Papiniano hæc quæstio proposita fuisset, si non idem quoque ius eo tempore obtinisset. Quod si verum est, & Tribonianus pro præsentis præteritum tempus supposuit in l. in suis D. de lib. & post. her. inst. Sane quidem sub Augusto exemplum est iudicij paterni & domestici in filium.

cuius & ipse princeps pars fuit, apud Senecam lib. 1. de Clement. vt non inmerito idem auctor parentes magistratus domesticos appellarit lib. 2. de benefic.

Quod bonum fuit.] Sic etiam scriptū est. In l. 3. & l. 10. D. de bon. poss. contr. tab. l. 13. §. aliquando D. ad SC. Vell.

Dedisse ut.] Fortasse melius, *dedisse, set ut.* Hoc velle videtur Papinianus, legem Iuliam non tam dedisse patri ius necis in filiam, quam necessitatem imposuisse filiam occidendi, si quidem & adulterum veller occidere. & recte, *hæc adiectio.* Nam si quis verba ipsa legis expendat, hoc maxime agit, vt impune adulterum pater occidere possit: adiicit tamen veluti temperamentum quoddam nimij caloris, dum modo filiam in continenti occidat. Non dat igitur lex ius occidendi filiam cum adultero, sed adulterum potius cum filia, l. 20. D. eod. & est filia ipsa vt ita dicam, in conditione magis quam in dispositione.

Quod forte filiam.] Desunt quædam huiusmodi, quod forte filia effugit, aut casu euasit.

Non dubitantur non ambigitur. Sed si deponas.] Sic vet. legendum videtur, non dubitatur. Sed si de pœna tradas quin aliquid eius honestissimo. calori permittatur, non ambigitur. Sic dicit, non ambigitur, non ut quasi &c. hæc autem posteriora verba videntur esse collectoris, vel potius Pauli, aut alicuius eorum qui ad Papinianum notas scripserant, quarum auctoritatem Theodosius & Valent. infirmarunt in l. 1. C. Th. de respons. prud. Iustinianus restituit adempta etiam Papiniano sententiæ prærogatiua, in memor ipse iudicij sui quod etiamnum extat in l. cum acutiss. C. de fideic.

Vsq̄ ad exitium.] Leg. exilium l. 4. C. ad leg. Iul. de adult. l. 1. §. vlt. D. ad leg. Corn. de sic.

Marito uel patre accusante.] Etiam iure publico siue extranei. sed hoc est ex constitutionibus l. 6. C. eod.

Iniuriam lecti.] vet. lex, corrupte. Constantinus dixit Genialis lecti in l. 30. C. eod. tit. vt & alij auctores multi.

Sed quoniam.] l. 17. D. de quæstionib.

Paulus libro sent.] leg. libro secundo sententiarum, & quæ sequuntur sic suppleta sunt ex l. 22. D. hoc tit. permittitur tam adoptiuo quam naturali patri.

Prope est ut non possit.] Et sic Papinianus respondit in l. 20. Sed Iurisconsultis diuerſas inter se opiniones tueri concessum est, vt Fabius quodam loco ait. Atque vtinam hæc eadem libertas conscientię & veritatis potius fiducia quam contentionis & gloriolæ studio inter nos conseruetur. Ego sententiam non diuido, sed à Paulo sto, atque ita censeo: Quando adulterium iure naturæ probrum ducitur, eius quoque vindictam ex iure potius gentium quam ex ipsis legum verbis

verbis æstimandam. Qua etiam ratione nec dignitatem quidem auctoritate legis Paulus excepit.

Et liberos.] An liberos? Sed exceptio vxoris ad liberos magis pertinet quorum numero & illa habetur quæ in manum conuenit. Atque ita Nic. Fabro nostro videtur viro & doctissimo & humanissimo, cuius fidei atq; amicitia multum me debere lubens merito profiteor.

Inuenta.] Extat apud Paulum lib. 2. Sentent. sed corruptior. Quomodo autem restituenda sit, hic locus indicat, in quo tamen mariti verbum frustra repetitur.

Sub specie.] Fortasse rectius sub spe: quamquam vtrunque leuiter ferri potest.

AD TIT. V.

Qui manserit.] Extat Leuit. xx.

Capite punitur.] An sit hæc pœna legis Scantiniæ dubitari potest: an potius Iulia de adulteriis, qua etiam in marem stuprum vindicatur, vt & ea quæ de vi publica est si per vim stuprum illatum sit l. 29. §. vlt. D. ad leg. Iul. de adult. Fabius quidẽ nihil præter decem milium multam stupratori minatur, & Plutarchus auctor est Capitolinum à Senatu pecunia multatum quod Claudij Marcelli filium de stupro appellasset: an quod non perpetrasset, an quod non satis conuictus videretur, dubitari potest. At hic ipse legi nomen dedisse dicitur, siue vt Macedo Senatusconsulto, siue quod ipse illa tulisset. nec enim nouum est primum aliquem sua ipsius lege punitum. Sane Valerius C. Scantinium appellat, & Tribunum plebis facit: Plutarchus Aedilem collegamque Marcelli, & Capitolinum tantum nominat. Porro Vvisigothorũ legibus huiusmodi stuprum castratione vindicatur.

Nec testamentum ei ex maiore parte.] Sicut nonnullis pro beneficio datur vt pro parte dimidia testamentũ facere possint, veluti seruo publico P. R. ita alijs, pro pœna interdicitur ex maiore parte bonorum testamenti factio. Sunt igitur quidem pro parte testabiles, pro parte intestabiles. Cuius rei gratiam populus aut princeps facit cum liberam testamenti factionẽ concedit. Quod de seruo publico diximus vnus Vlpianus tradidit, nec alius, quod sciam, eius iuris auctor hactenus laudatus est. Sed videor mihi inter senticeta M. Varronis, vestigia quædam illius notasse, verum ita perturbata vt non facile a quouis agnosci possint. Sic autem lego ex vetustioris scripturæ reliquijs sub finem lib. vii. de ling. Lat. Habent plerique liberti à municipio manumissi: in quo ut societatum & sanorum serui, non seruauerunt proportionem & rationem. Et Romanorum liberti debuerunt dici, ut a Fauentia Fauenthus, à Reate Reatinus, sic a Roma

Romanus, ut nominantur libertini a libertis orti, & e publicis seruis P. R. qui manumissi, ante quam sub magistratum nomine qui eos liberarunt, succedere ceperunt. Ut significet Varro, quæ analogia est inter Roma & Romanus, eandem esse videri inter libertus & libertinus, quo nomine temporibus Appij cæci & deinceps aliquamdiu censiti sunt non ipsi qui manumitterentur, sed ingenui ex ijs procreati, ut Suetonio libro 3. scripsit, & Vipianus nos ter mōnet apud Athenæum. Addit Varro, libertinos etiam dictos qui ex seruis publicis P. R. manumissi erant, quasi plus aliquid essent quam liberti & propius ad ingenuitatem accederent, ut pote qui & ante manumissionem quodammodo libertorum iure vterentur, cum testamenti factorem haberent, possentque non modo ipsi testamentum facere, sed ex aliorum etiam testamento sibi capere, ex parte scilicet dimidia. Quod ut rite fieri videretur, cum alioqui heres iure Ro. esse non possit quæ ne nomen quidem, immo nec personam habet, hic iuris color à prudentibus excogitatus est, ut serui huiusmodi in capienda hereditate nomen sibi eius magistratus adsumerent cui ministrabant. Ergo & in testamento testes esse poterant, cum iuris ciuilibus aliqua ex parte communionem haberent (quod pertinet ad l. 20. §. seruus. D. de testament.) & familię emptores, quia & mancipationis ius habuerunt, quod alioqui ciuium Ro. proprium, postea Latinis tantum colonariis Iunianisq; concessum est, atque etiam peregrinis iis quibus ius commercij datum erat, ut ad Gaium Vipianus adiecit. Tacit. lib. 2. Annal. Et quia uetere S. C. quæstio in caput domini prohibebatur, Tiberius mancipari singulos actori publico iussit. & lib. 3. Seruos silani actor publicus mancipio accepit. Quod tamen Xiphilinus ex Dione ab Augusto prius constitutum referens. τῷ δημοσίῳ (inquit) ἡ γὰρ ἑαυτοῦ τῶν ἀποδοῦναι. Et sane eos actores publicos seruos P. R. fuisse nemo eius antiquitatis peritus negauerit. Fuerunt igitur olim serui iij eodem pene iure quo postea liberti principis ex constitutione Gordiani quam ex Gregoriano recitat Theodericianus I. C. sub Tit. de libertatibus. quibus Leo seruis principis plenum rerum suarum arbitrium etiã morientibus concessit Nouell. Const. 38. quod etiam aliquatenus suis se indulgisse Plinius nepos gloriatur. Porro quod additur apud Varronem & rationem, quamquam belle habere videatur, vereor ne non supersit, aut potius Romæ locum occupet, errore non obscuro. Nam & in veteribus monumentis hæc etiam sæpe coniunguntur, Urbis Populique Romani. Urbis Varro non dixit, sed Romæ, ut analogia constaret. Sed nos etiam notis istis suam analogiam constare non concedimus. Si cui tamen nostra hæc de loco obscurissimo coniectura probabitur, is facile peccati, quodcunque est, veniam dabit.

Hoc quidem iuris.] Sunt hæc aut collectoris, aut alterius cuiusdam

qui hæc postea ex Theodosiano adiecit, vel potius ex Præfecturæ vrbanae archiuis. Nam in ipso Codice hæc constitutio breuius relata est, quod & ante monuimus.

AGVC NOVIS.] Sic ver. quod ex aliis constitutionibus sic restitui potest. *Orienti uicarie Ka rissime nobis.*

Prop.] In C. Th. paulo alia est subscriptio, nempe hæc, PP. in foro Traiani VIII. Id. Aug. Valentiniano IIII. & Neoterio Cos. In veteri quidem exemplari scriptum est, *Minere non Mineruæ.* Sed in eadē regione vrbis quæ Fori Ro. nomen prætulit, & Traiani forum, & Mineruæ atrium fuisse vel ex P. Victore constat.

AD TIT. VI.

Quicumque.] Leuit. xx.

Vlp. libro Regulari.] Lego: Vlpianus libro singulari Regularum. sub Titulo. De nuptiis. Atque ex hoc loco restituenda arbitror quæ hodie corrupta extant inter fragmenta Vlpiani Tit. 5.

Ex tertio gradu.] Vvisigothorum legibus vsque ad sextum cognationis gradum nuptiæ prohibita sunt, qui gradus ex Pauli Sententiis numerantur: quod & Vvisigothus Isidorus sequutus est, vt non in merito Saluianus eius gentis castitatem laudibus extollat. Sed nos & Saluianum integriorem & leges illas XII. libris compositas breui, Deo faciente, in publicum dabimus.

Sed tantum fratris filiam.] Et hoc Vlpiani temporibus obtinuisse multi Pan dectarum loci evincunt. Sane constitutio illa D. Neruæ cuius Xiphilinus ex Dione meminit, ad fratris potius filiam pertinuisse videtur, nam & hæc *ἀδελφῆς* dicitur. Constantinus tamen & Constans cum alterum magis prohibere vellent, vtrumque complexi sunt ea lege quæ ex veteribus libris in Codice Theodosiano nuper restituta est sub Titulo. de incestis nuptiis, ex qua etiam hoc idem ius ad Gaium Anianus adiecit libro 1. Institur. Titul. de nupt.

Sed uel cognatam.] Puto leg. Si uero cognatam. Quod sequitur, contra interdictum, sic interpretor, contra ius ciuile. Pertinent uero hæc ad legem Iuliam de adulteriis, & explicantur fufius in l. 38. D. eodem tit. quo etiam referendum est Diuorum fratrum rescriptum ex l. 57. §. 1. D. de tit. nupt.

De nuptiis sub titulo.] melius sub titulo de nuptiis.

Si cunctos.] leg. si cunctos sub imperio nostro agentes piam religio sanque & quietam & castam in omnibus more colere perspexerimus uiam. More est vitæ quadam honesta ratione atq; instituto. Horat. lib. 4. odar. Mos & lex maculosum edomuit nefas, Petronius Satyrico.

Artis seueræ si quis amat effectus,
Mentemque magnis applicat prius more
Erga iustitiam lege polleat exalta.

In Nouella etiam Theodosij & Valentiniani de lenonibus, Pio circa omnium uerecundiam proposito, mansuetudinis nostræ mori pudicitiaque suggestit. Sic enim potius legendum arbitror, nisi cui magis placeat, ori. *ut dicitur* illa Epicteto *uox à quibus gignit* id est, perpetuæ cuiusdem voluntatis constantiam quæ morem efficit, aut ipsa illa potius mos est. Varro apud Ambrosium Macrobiū lib. 3. Satur. Mos est in iudicio animi, quem sequi debet consuetudo, id est, cultus moris.

Successiones careatur.] Forſitan, ſucceſſione careant, ut. Puteanus tamen malit, ſucceſſione arceantur.

Apud affectus.] Hinc apparet affectus dici non de liberis modo & vxore, ſed & de reliquis cognatione & adſinitate coniunctis. Vulcarius in Auidio. Nec in eius liberos aut affectus ſeruit.

Cum filia, nepte.] Hinc ſumpta eſt l. 17. C. de nupt. in qua ex Conſtantini & Conſtantis lege à Triboniano adiecta uidentur illa uerba, Præterea fratris filia.

Nihil enim.] Priorem huius ſententiæ partem Puteanus noſter ſic emendat, Nihil enim niſi ſanctum ac uenerabile noſtra iura cuſtodiunt. Poſterio-rem ego ſic. Et ita ad tantam magnitudinem Romana maietas cunctorum numinum fauore peruenit, quomam omnes leges ſuas &c. paulo poſt, contra diſciplinam ueterem indulta. & infra, qui tam euidenti crimini ſe poſt edictum noſtrum non dubitabit inſuere, uel crimine inſicere.

In die tertio.] Fortaſſe melius, in diem tertium.

Ermogenianus ſub Titul.] Hic uelim illud obſeruari Codicem ſiue Hermogenis ſiue Hermogeniani libris non diſtingui, ſed titulis tantum.

Et Diogene.] Fortaſſe. Tiberiano & Dione conſ. Quæ ſequuntur ſunt collectoris, ſed indicant quanta ueterum religio fuerit in conſtitutionibus Imp. recitandis circa diem & Coſ. credo equidem poſt l. 1. C. Th. de diuerſ. reſcr. quæ Iuſtinianus cum ad priuilegia reſtrinxiffet, poſtea facile neglexit.

Et qui coniunctæ.] Lego, Ei qui coniunctione ſororis filia. Vide l. 57. D. de rit. nuptiar. l. 38. §. idem Pollioni. D. ad leg. Iul. de adulter. Coniunctionem autem dixit non connubium, quod eſt ius legitimi matrimonij, ut ſupra Paulus ductam non uxorem. his tamen nominibus interdum facile abutimur. Nam & idem Paulus libro 2. Sentent. dixit matrimonia iniuſſu parentum contracta non ſolui, cum proprie hæc matrimonia non ſint. Quæ ſequuntur ſunt Eclogarij ſiue collectoris.

Maledictus.] Extant Deuter. cap. xxvii.

Quod si xii.] Et hæc quoque collectoris sunt, sed ita deturpata vt mens potius quam plena & articulata vox audiatur.

Si perfodiens.] Exod. xxii.

Magistratibus.] municipalibus, vt Duumviris & aliis qui custodiarum potestatem habet l. 52. §. si quis. D. de furt. l. 10. D. de custod. reo.

Vlp. lib. viii.] Legendum arbitror lib. xviii. Sed in Titulo ipso collector falsus videtur. nam hæc ad legem Aquiliam omnino pertinent, non ad Edictum Si quadrupes, quod est de damno sine iniuria dato ex xii. tabulis. Et vero magna pars horum hodieque extat in l. 3. & 5. D. ad leg. Aquil.

Quia non occidit.] Leg. quia non iniuria occidit. quod perspicuum est.

Omnimodo.] M. Tullius & post eum Seneca itemque Augustinus de eadem re, quo quomodo.

Et Pomponius dubitat num hæc lex nunc sit in usu.] Hic locus indicat exceptiones illas in fure nocturno, Si parcere ei sine periculo suo non poterit. & Sed melius fecerit & c. esse ex iure ciuili, id est ex interpretatione prudentium, non ex lege xii. tabularum: sed nec ex Cornelia.

Quin lege Aquilia teneatur.] Videtur legendum, non teneatur. Quod fit lege permittente, non potest videri iniuria factum. Quod sequitur, si tamen cum posset apprehendere, est ex iure ciuili, non ex legum verbis.

Contumeliam.] v. b. ex sententia Labeonis, quam tamen Paulus non probauit.

Fures ad forum.] vet. ex. ad furtum. Emendationem nostram probat & quod ex Paulo relatum est sub Tit. de abigeis. Ad forum autem est ad examinationem ciuilem siue ad ius ordinarium vt ex Marciano Tribonianus maluit adscribere. Quod sequitur de nocturnis extat in d. l. 1. D. de furib. baln.

Dum poena.] Paulus Orosius lib. 4. hist. Furtum ne leges quidem nisi multa pecuniaria, uel ad summum exilij, circa quemlibet hominum vindicandum censuerunt. Seruius tamen in illud Maronis ex lib. 8. At furis Caci mens effera, notat furis nomen pro ingenti scelere positum. Capitale enim, inquit, apud maiores fuerat ante poenam quadrupli. Apud nos quoque furta sunt quaedam facile capitalia, vt domestica, & repetita, quæ, more à maioribus tradito, suspendio ferè vindicari solent.

Contre fiat.] dolo malo. Semper furtum contre fiat. Sic lego in l. 6. D. de furt. Sunt vero hæc ex lib. 2. Sentent. Recept.

Comprehensus.] Vel visus ex sententia quorundam, quam Seruius ad illud Virgilij sequutus videtur Aecloga 3. Non ego te uidi, cum manifesti magis arguatur illis verbis Et cum clamarem & c. l. 7. D. de furt.

Furiorum.] In l. 14. §. qualis, D. de furt. puto ab Vlpiano scriptum,

Omnes furti actiones competere, id est, concepti, oblati, manifesti, nec manifesti, ope, consilio, alioqui sane idem vocabulum frustra reperatur.

Concepti inuenta est.] Fortasse melius, res concepta, i. inuenta est, vt & paulo superius, Concepti agere potest.

AD TIT. VIII.

Si steterit.] Deuter. xix.

Qui falsum.] Et hoc fortasse est ex lege Iulia de adulteriis, cuius plura capita fuisse constat, vt & illud quod est in l. 18. D. de testibus.

Hi qui falsum uel aliqua.] Fortasse leg. hi qui falsa uel obliqua, id est, varia, Extat hæc sententia apud Paulum lib. 5. Sent. & in l. 16. D. de testib.

Vel utriusque parti.] utriq; parti, Impudentia eius cuius ira anceps fides vacillat, vt diuersa duobus testimonia præbuerit, quin crimine falsi teneatur nec dubitandum est, l. 27. §. 1. D. ad leg. Corn. de fals.

Hi qui.] Extat Tit. 25.

Vlp. lib. viii.] De off. Procos. vt indicat l. 9. §. 1. D. ad l. Corn. de fal.

Statilio & Tauro.] Statilij Tauri plures cōsulatus in fastis reperiuntur, sed in notatione horum temporum quem potissimū sequar non habeo. si quis tamen coniecturæ locus est, sic lubentius reposerim Statilio Tauro & Scribonio Libone Cons. Nam his Cons. S. C. Libonianum circa legem Corneliam factum verisimile est.

Testamentæ inuicem dicenda.] In Pandectis testimonia, & in l. 1. D. eod. male, vt mihi quidem videtur, inspicienda. An testamentum pro testimonio: ut contra testimonium pro testamento apud Corn. Tacitum in vita Agricolæ, & in veteri Regularum fragmento cuius supra meminimus. Verbi tantum productio variata est. non frustra tamen rerū causa hæc distinguuntur, vt in l. 15. D. hoc tit. Ceterum nec frustra ait dicenda aut consignanda. Nam testimonium vel per tabulam datur, vel coram dicitur: hoc quidem olim in publicis religiose obseruatum, illud suo tempore potius in usu fuisse testatur auctor libri de oratoribus qui Tacito passim tribuitur, quem ego libentius M. Fabij librū de causis corruptæ eloquentiæ inscriberem, nisi me annorum ratio aliquatenus remoraretur. Non est verò vtriusq; testimonij eadem fides l. 3. §. Gabinio. D. de testib.

Obstruendas.] Fl. obstruendas in l. 1. D. eo. & paulo post, ad obligationem innocentium, pro, in accusationem. sic enim & hic lubens reponerem ex l. 2. D. de concussionib. nisi quis in occisionem malit dictum, vt in necem, id est in perniciem: Et infra remunciandum remittendumue, non denudandum. denunciat accusator reo vt eos testes producat, quibus suam ipse accusationem confirmare velle se dicit, vt ex Apuleij priore Apolog.

constat. Ceterum qui improbe coeunt in alienam litem vt quicquid ex condemnatione in rem actoris redactum fuerit inter eos communetur, lege Iulia de vi priuata tenentur ex S. C. Volufiano l. 6. D. ad l. Iuliam de vi priuata.

Cotta & Messala. Hoc diuersum est ab illis quæ iisdem Coss. facta referuntur in l. 12. §. si seruus. D. de accusat. l. 4. §. proficisci. D. de off. Procons. Fuerunt verò & alia S. C. circa legem Corneliam. Et hoc fortasse ex S. C. est, quod falsi nominis vel cognominis adseueratio poena legis Cornelie coercetur l. 13. D. ad leg. Corn. de fals. videlicet si id in fraudem alterius factum sit, siue quo quid alienum interciperetur aut possideretur, vt Paulus ait lib. 5. Sent. Alioqui libero nominis cognominisq; mutatio periculosa non est l. 1. C. de mutat. nom. nam seruo solus dominus pro arbitrio nomen inponit, & ad voluptatem quidem, vt in Orat. pro Rosc. Amerino notauit Vulcatius seu quis alius vetus interpres, cuius fragmenta quædam vispellionū aliquando manibus precio extorsimus. Sic quæ more apud veteres recepto stupri licentiam apud Aediles profitebantur nomina mutasse vel vnus Flauii locus ex Penulo arguit. Hodie, inquit, earum mutantur nomina facerentq; indignum genere quæsum corpore. Nam quod Iuuenalis Messalinam Lycisæ titulum mentitam ait, ad fornicis titulos magis pertinet, de quibus est & illud Petronij. Video quosdam inter titulos nudasq; meretrices furtim conspiciantes. Sic enim eum locum plane restituendū libri me veteres post Senecam docuerunt. Sic & C. Staienus Ligur in pūne se ipse adoptrauit, & de Staieno, Aelium fecit, vt M. Tullius iocatur in Bruto: sed vsque adeo infeliciter vt pene vbique verum nomen amiserit. Nam in omnibus fere exemplaribus Staienus scribitur vt & in Topicis & actionis secundæ in Verrem lib. 11. qui est de iure dicundo, *Quem tu mihi Tubulum, quem Staienum, vbi vulgo corrupte, Quem tu mihi Bulbum, quem Staienum, Itemque pro A. Cluentio, Dico de C. Aelio Staieno, & paulo post. Qui tu, inquit, Pacete, hoc enim sibi Staienus cognomen ex imaginibus Aeliorum delegerat, ne si se Ligurem fecisset, nationis magis suæ quam generis uti cognomine videretur.* Sed vercor ne etiam apud Salustium in posteriore oratione ad C. Cæsarem de Rep. ordinanda hoc idem nomen hæcenus amiserit eo loco, *Reliqui de factione sunt intertissimi nobiles, in quibus sicut instituo, præter nomen nihil est additamenti, legendumque fit potius, in quibus sicut in Staieno.* Quod ex his quæ posuimus interpretationem accipit. Notus est Staieni paries, nota Aeliorum virtus ab Ennio vsque laudata. Sed vetuit postea Claudius peregrinæ conditionis homines vsurpare nomina duntaxat gentilitia, vt Suetonius in Claudio scripsit.

[*Falsum.*] Exod. xx.

Eadem lege.] Lege Iulia publicorum iudiciorum enumeratae sunt personae, quibus testimonium in vitis denuntiari non potest, seu potius quae a dicendo testimonio excusantur interdum etiam volentes. l. 4. D. de testib. De eis qui omnino a testimonio arcentur, nihil videtur illa lege cautum. Sed multae aliae leges in sua quaeque quaestione de ea re cauerunt, ut lex Iulia de vi, & repetundarum, & peculatus l. 5. & 13. D. eo. Et hic quidem eius quae de vi fuit duo capita proponuntur, quorum prius sic restituendum arbitror ex Callistrato in l. 3. §. lege. D. de testib. *Eadem lege q. test. omnino, quibus inter. inuitis capite LXXXVII. & capite LXXXVIII. in hoc his uerbis: Hominihus hac lege in reum testimonium dicere ne licet, qui ab eo parente eius libertus eius cuius eorum libertus libertate erit, liberauerit, quiue impubes erit, quiue iudicio publico damnatus, quiue eorum in integrum restitutus non est, quiue in uinculis custodiaque publica erit, quiue depugnandi causa auctoratus erit, quiue bestias depugnare locauit, locauerit, praeterquam qui iaculandi causa ad urbem missus est, erit, palamue corpore quaestum fecit, fecerit, quiue ob testimonium dicendum pecuniam accepisse iudicatus erit, neu quis eorum hac lege in reum testimonium dicat. Capite &c.* Non frustra autem distinguit auctoratum ab eo qui bestias depugnare locauit, ut & Paulus lib. singulari de adulteriis. Nam hic quidem operas turpiter tantum locat, ille totum se seruiliter addicit: & recte Acron atque Porpyrio auctoratos appellari scribunt eos qui se ludo vendunt. nam & sic de iisdem ut opinor Manilius lib. 4. Astron.

Nunc caput in mortem uendunt. & sumus arenae,

Atque hostem sibi quisque parat —

Hoc formula ipsa indicat ex Petronij nostri Satyrico antehac prodita, quam & hic meo iure adscribam. In uerba, (inquit) Eumolpi sacramentum iurauimus, uri, uinciri, uerberari, ferroque necari, & quicquid aliud Eumolpus iussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animosque religiosissime addicimus. Quo pertinet & illud Tibulli lib. 1. Eleg.

*Vre meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intello uerberare terga seca.*

[*Qui aculandi.*] Sic vet. fortasse, iaculandi, repetita ex syllaba priore litera. Iaculatores dicebantur qui leonibus aliisque feris animalibus in Circo conficiendis operam dabant, quales a Boccho primum missos cum L. Sylla leones in Circo solutos dedisset, Seneca testatur in lib. de breuit. vitae. Porro ex hoc loco satis apparet legibus Romanis non congruere quod Hermenop. lib. 1. Prochiri ex Praxi Magistri tradit, in testibus de vi nec mores nec vitae qualitatem spectari.

Homines

Homines imiti.] Ergo in l. 5. D. de testib. In legibus, id est, nō tantum in lege publicorum iudiciorum, sed & in lege Iulia de vi &c.

Susceptos testes.] Sic vetus exempl. sed quis non admittat *suspectos*? Atque ita hodieque scriptum legitur apud Paulum lib. 5. Sentent. additurque, *Suspectos gratiæ*. Ego vetustiorē scripturam non temere contemnendam censeo. Suscepti dicuntur & clientes quos paterfamilias in fidem suam ita suscipit, vt pars quodammodo familiæ censentur, quam ob causam libertis fere coniungi solent, vt in l. 3. D. de vsu & habit. l. 5. D. de his qui deiec. vel eff. l. 7. D. de capt. & postl. l. 89. D. de furt. l. 3. C. de nouationib. Eius veteris iuris reliquiæ adhuc extant in l. quidam cum filium. D. de verbor. oblig. quod ex Seruio & Saluiano IAC. CUIACIUS Doctor meus iam pridem in lucem protulit, vt & alia multa hactenus hominibus nostris incognita, per quæ

Illum summa manet Romani gloria iuris.

Atque vtinam vir immensæ doctrinæ & cum priscis illis legum coryphæis sine inuidia comparandus, cuius me studiosorum numero censerī hoc vnum est quod in maxima laudis parte ponam, ad hæc quoque vel inuiratus descendere voluisset. nam illis quantum meriti nostra hæc perturbata exaratio detrahit, tantum ex eius doctissimis & absolutissimis commentariis accederet splendoris & gloriæ. Non abs re igitur susceptorum & clientum testimonium vt domesticum non admittitur, l. 24. D. de testib. l. præsentī. §. penult. C. de iis qui ad Eccles. conf. in qua familiaris nomen & ad susceptum non male referetur. Sane Gellius ex M. Catonis oratione in Lentulum inter cætera & hoc refert, *Testimonium aduersus clientem nemo dicit*, libro 5. Noct. c. 13. Susceptorum etiam nomine vtitur Iulius Seuerianus in præceptis Rhetoricis quorum fragmenta quædam post integriorem editionem Corn. Celsi titulo super prostituta sunt.

si sint.] Malim vt apud Paulum, *In adfinem vel cognatum*. Est vero hoc ex lege Iulia publicorum iudiciorum, vt idem Paulus tradit in l. 10. D. de gradib. & adfinib. in qua tamen agnatorum nomen & pro cognatis positum legimus.

Itemque liberti.] Et hoc habet optimum exemplar. nec fortasse absurde necessitudinis nomen etiam de libertis vsurpabitur, & de seruis, vt in l. 2. C. Th. de testamen. Est enim vt sanguinis, sic & amicitie & affinitatis, & officiorum necessitudo quædam, quamquam illud quod Callistratus ait, propter reuerentiam personarum quosdam non admitti ad testimonij fidem, omnibus magis conueniat.

Si aliquis.] Exod. xxii.

Vel commendato.] Commendare nihil aliud est quam deponere l. 186. D. de verb. sign. Sed hic Modestinus differentias persequitur inter commodatum & depositum. Itaque commodati nomen ubique restitui malim.

Conuentus est.] Reposui, conuentus etiam culpam &c.

In depositi uero cum sola.] Vet. causula. potest uero & in deposito depositarij utilitas uerti l. 5. §. 2. D. Commodati.

Et in fiducia iudicio.] Sane in fiducia pignoris quæ instar legis commissoria est, quin hoc uerum sit dubitari nõ potest. d. l. 5. §. 1. vel cum fundus ea lege alicui mancipatur, ut cum mancipanti remancipet, ueluti si quis tempus dubium timens amico potentiori fundum mancipio tradat, ut ei cum tempus suspectum præterierit, reddat: quo etiam genere fiduciam contrahi Boëtius tradit. nam hoc certe contractu quamuis commendati siue depositi speciem quandam gerat, fiduciaris tamen reuera fit dominus. At cum fiducia ita contrahitur ut seruus suis nummis ematur atque manumittatur, nomen imaginarius ille emptor accommodat, præterea nihil illi adest abestue; l. 4. §. siue autem. D. de manumiss. In mancipatione etiam liberi hominis quæri potest quæ utilitas fiduciaris interueniat. nam sæptertius ille nummus assium quatuor qui dicis gratia numerationis loco non in hac solum sed in omni alia imaginaria uenditione interueniebat, uix est ut reuera precium dici possit, l. 10. §. ult. D. de adq. poss. l. 43. D. locat. l. 16. D. de reg. iur. tale saltem quod fiduciaris diligentiam imponat. Nec inficior tamen etiam in huiusmodi contractibus maiore aliquo precio fidem commodari posse, & hos nonnihil ad mandatum accedere.

In mandati uero iudicio dolus.] Desunt hic nonnulla quæ forsitan non male ita supplebuntur, *In mandati uero iudicio dolus & culpa præstatur: itemque in tutelæ iudicio, quamuis pupilli non etiam tutoris utilitas in administratione uersetur.* In mandati iudicio quin & culpa uel leuis præstetur, dubium nõ est. Idemque uidetur in tutore statuendum, qui aliena quodammodo ex mandato gerit negotia, cuius tamen scio in quibusdam partibus leuem culpam excusari l. 7. §. competit. D. de administr. tut. De leuissima quæri non abs re potest. Sed hæc tractatio amplior est quam ut notis capi queat.

Et in actione rei uxoriae.] Tribon. scripsit, *in pignore & in dote* l. 5. §. 1. & l. 8. D. commodati.

Actione depositi.] Hinc sumpra est l. 23. D. depositi. in qua cur illa uerba adiecta sint seruo constituto, non satis intelligo: nisi restituto aut legatur aut intelligatur,

Cibariarum.] Cibariorū l. 18. §. 1. D. Commod. & apud eundem Modestiniū in l. 4. D. de alim. leg. sic & alimoniū legitur & alimonia.

Cui res commendata.] Melius, *Commodata.*

Respondit de posita.] Fortasse melius, *Res apud te deposita si subripiatur. dominus domui &c.* vt sit domui dictum quemadmodum alias in Pandectis domi secundo casu. sed hic superesse videtur. Idem vero obtinet & si depositarius culpam repromiserit aut depositionis precium acceperit: quibus tamen casibus vi bonorum raptorum datur. l. 2. §. si in re. D. vi bonor. rapt. Apud Quintilianum Declamat. 361. depositarius furem damnasse quadruplumque exegisse fingitur scholastica licentia: cuius est etiam illud, non potuisse dominum furti agere, quæ in foro nullus pudens dixerit.

Si modo soluendo fuerit. Actio.] Veteris libri scriptura hæc fuit, *Si modo soluenda actio fuerit.* Cæterum casus est quo commodatori furti actio datur licet dominus ipse furti agere nō possit in l. Si vxor. D. de act. rer. amot. Pertinet vero hic locus ad l. ult. C. de furtis.

VII. & Quad.] Forte, *Septimio & Quadrato.* Extat vero hoc idem rescriptum lib. 4. Cod. Iust. sub Titulo de deposito, Const. 10.

Si sacellum.] Extat apud Paulum lib. 2. Sent. & in l. 29. D. eod. tit.

Eam hancque in tibi commisero.] Legendum videtur, *Si pecuniam deposuero, eamque in usum tibi commisero.*

Periculo tuo erit.] Etiam si non vtare l. 9. §. ult. D. de reb. cred. aliud est si ita deposuero, vt si velis, vtaris: tum enim & si periculo tuo sit, l. 4. & l. 10. D. eod. ex vsu demum mutui actio nascitur vsuræque debentur l. 1. §. si pecunia. D. depositi.

Postquam perdidideris.] Malim, *postque eam perdidideris,* Paulo aliter Vlpianus in l. 1. §. si rem depositam. D. eo. tit. Dolo semel admissio periculū rei ad depositarium pertinere.

Ex causa depositi lege xxi. tab.] Credo hanc esse depositi actionē in duplū ex inficiatione & dolo malo, cuius & Iustinianus meminit in §. furti. Inst. de actionib. & Paulus lib. 1. Sent. Tit. de actionib. quæ per inficiat. dupl. si modo pro depensi, legatur depositi. Nam sane in actione illa negotiorum gestorū ἀπὸ κατὰ δυνάμειν, quæ & recte depensi dici potest, non de rupta fide agitur, sed de indemnitate eius qui alienum negotium gerens aliquid expendit, vt Vlp. de depositario dixit in l. 5. D. hoc tit. cui iudicio nō video, cur plus tribuatur quam cōtrario mandati. At ex deposito certū est & ob dolum cōdictionem comperere tanquā aduersus furem l. 13. D. eod. vt mirū non sit eum quoque vt manifestū dupli pœna coerceri ob inficiationē quæ inter grauiora delicta non immerito à veteribus habita est.

Incurfu.] Extat in l. 1. C. Depos. aucta à Triboniano quibusdā verbis.

Dominus horreorum.] Extat & hæc constitutio in l. 1. C. de locat.

Si quis inuolauerit.] Exod. xxii.

Totidemque boues.] Sic vet. sic & Ostrogothus scriptor Tit. 3. ex Pauli lib. v. Sent.

De stabulo.] Ergo & hic atrox abigeus est. Sed tamen lenius coercetur si à stabulo domitum pecus abegerit, quam si a silua vel grege. Sic enim legendum esse in l. 3. §. 1. D. de abig. Doctor noster ex Græcis interpretibus admonuit.

Aut a ferro.] Fortasse melius, *aut ferro conducta manu*, vel, quod Faber mauult, *aut cum ferro, aut conducta manu*: vt hæc etiam distinguantur.

Abigatores.] Sic vet. apud Paulum, *Abactores*, cuius etiam scriptam lectionem codex noster confirmat.

Aut fustibus caesus.] Illud hic annotare placet, Fustis pœnam interdum capitalem fuisse, vt in decimatione militum, ad quam videntur etiã pertinuisse Salutij verba quæ apud Seruium duobus locis corrupte leguntur. Sic autem restituenda arbitror, *Sorte duobus fusti necat*, quæ & ipsa Corn. Tacitus de eadem re vsurpauit lib. 3. Annal.

In pœna.] vet. inponat.

De abigeis.] Referuntur & hæc ex eodem libro in l. 1. D. de abig. sed ita vt Triboniani manum facile agnoscas.

Alioqui nec.] Malim vt in Pand. alioquin &.

Quod maximo.] Malim quod maxime, id est, vt plurimum.

Est autem differentia.] Eam differentiam hic vnus locus habet, vt & alia quædam nostris interpretibus hæctenus incognita. Sane ex Paulo didiceramus, ad gladium datos intra annum consumendos esse. De ludo nihil dum tale, quod sciam, audieramus. Est autem ludi nomen generalius, & continet ferrum, gladium, arma, cestus, arenam, venationem, quæ omnia inter mediocres pœnas vno ludi verbo Paulus complexus est lib. 2. Sent. Tit. 17. Ergo qui ad ludum damnatur, non statim ad gladium damnatus intelligitur, id est ad ferrum, siue ad ludi gladium, vt à Capitolino scriptum est in Macrino ad differentiam decollationis. At qui ad gladium datur, vix est vt ad aliud ludum datus intelligatur, quam tamen interpretationem Vlpianus hic tentat. Est & de ludo locus non satis animaduersus apud auctorem eius historię ex qua secundus Machabæorum liber factus est, dum narrat Iasonem Oniæ fratrem summum Pontificatum ambientem apud Antiochum Epiphanem, petiisse ab eo pro summo beneficio, vt Ierosolimitani deinceps ab ipso Antiocheni dicerentur, liceretq; in ea vrbe gymnasium cõstituere. Quod cum ille facile impetrasset, magno ardore sub ipsa arce gymnasium *negat* instituisse, in quo optimos quosque adolescentes *id est, quosdam auctoramento*

sibi subiciens, *ὁ πρὸς τὸν ἄλλο*: quod vetus interpres transtulit in lupanaribus posuit. non vsquequaque fortasse recte. Nam & si Iudæis velatae mulieres pro meretricibus habeantur, & apud Romanos flauus galerus in prostibulis notatus sit, petasus tamen cursorum est, & in ludo depugnantium, aut disco certantium, praesertim apud Græcos ad quorum gymnasia locus ille magis pertinet. & recte Pollux *ὁ περὶ τῶν ἀθλοῦν* quo loco *ἐπιθετο* appellat eos qui inuenes dici videntur in l. 28. §. solent. D. de pœn. vt & in veteri epigraphe *Allestus inter iuuenes*, de pantomimo legitur. Plautus Pseudolo, *etiam opus est chlamyde & machæra & petaso.*

Damnatis continetur.] Lego, *mandatis*, nam & de his rebus Praesidibus in prouincias proficiscentibus præcepta dabantur l. 35. D. de pœn. & aliis multis locis.

Non utique.] Non semper. nam & aliquando consumuntur. immo id interdum sententia ipsa comprehenditur l. 1. C. Th. ad leg. Fab. de plag.

Post inter palam.] Sic vet. lego post interuallum.

Pilloari.] Tanquam liberati. est enim hoc liberationis siue præmij insigne: Tertullianus de spectacul. *Et qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit.* Idem gladiator atroci petat rudem & pilleum, præmium conferat. vnde & pillei manumissionum in Aurelij Victoris Breuiario. Galerus aut petasus non recte pilleus dicitur. Sed an hæc pillei impositio statum publicum reddit ad instar restitutionis cuiusdam in integrum? Sustineo. Rudis sane vacationem potius periculosi laboris quàm libertatem donasse videtur Ouid. 2. Eleg. *Tutaque deposito poscitur ense rudis.* Fuit enim hoc signum honestæ missionis artis gladiatoriae, quam gladiator stans ad crepidinem Circi sub Circulo amphiteatri, à populo petere & impetrare solebat vt Acro in Horatium significat.

Ex fermentis.] Sic vet. in Pand. *rectius, ex armentis.*

Berbicem adducunt.] *ueruecem abducunt.* Posteriores fere berbicem & pronunciarunt & scripserunt, vt apud Anianum & Paulum Monachum, & in Langobardicis Francicisque legibus. vnde nobis remansit vocabulum.

Qui cum gladio.] Firmicus lib. 6. Mathes. *Faciet peccorum abactores insequentibus hominibus minaci semper gladio resistentes.*

AD TIT. XII.

Si exibat ignis.] Exod. xxii.

Qui casa.] Lego, *Qui casam aut villam*, vt in l. 28. §. incendiarij, D. de pœn.

Venti fuerint bis.] Lego *furventis*, & paulo post, *dati damni aestimatione sarcidae.* *hae aestimatione autem id est, dupli compendio*, Paul, libro 5. Sent. & hæc

hæc est actio quæ incensarum ædium dicitur in l. iurisgentium. §. si paciscar. D. de pact.

Perdum.] Sic vet. an. per odium, id est ob inimicitias, vt Callistratus dixit aliquãto rectius quam Paulus, inimicitiarum gratia, quæ duo quo vinculo sociari possint, non satis video.

Incendiarij quidquid.] Malim, qui quid. Facile autem est, vt plurimum.

De naufragiis.] Puto legendum, Vlpianus lib. VIII. de officio Procos. sub Titulo de naufragiis & incendiariis. Incendiarius lex quidem Cornelia. Nam & de naufragiis eo libro Vlpian. tractasse indicat l. ult. D. de incend. ruin. & naufr. in qua huius quoque sententiæ pars extat. Sæpe vero inter exscribendum euenit, vt vel vnus vocis repetitio librarij oculos fallat: quod & accidisse arbitror in l. statuliberi. §. Quintus. D. de statulib. cuius sententiam lubens ita repleuerim, *An uideatur sententia qua uicis ad eam rem ualere. Et ait (nempe Q. Mutius) ad eam rem ualere. quapropter, &c.* Sic & in l. 27. D. de furt. si chirographa aureorum decem, decem tabulæ fuerint: & in l. 58. §. acceptis D. ad leg. falcid. *Acceptis centum, centum hereditatem, &c.* sic legendum.

Sed uariæ sunt.] deest, species, vel, circumstantiæ.

Aut certe.] Hæc quoque ita supplenda uidentur, aut certe exilio uel deputatione adficiendi sunt qui hæc committunt.

Vlpianus lib. ad edictum.] Lego. lib. XVIII. ad edictum. Extat pars quædam huius capituli in l. 27. D. ad leg. Aquil. quæ si quis conferre non grauibitur, & nos molestia notarum liberabit, & melius intelliget quid sibi iuris nostri compositores permiserint. Nobis hic uetustissimi exemplaris scripturam bona fide repræsentasse satis fuit.

Id enim.] Lego. Ait enim, si stip. inc. ig. fugit. Aquilia lege eum non teneri, sed in factum agendum, quia principaliter hic non exiit: sed dum aliud agit, sic ignis processit. cuius sententia & rescripto Diui Seueri comprobata est in hæc uerba. Quæ sequuntur quomodo restituenda sint, non satis video. Et tamen hic sensus plenus est, si ignis pabuli gratia factus &c. iudicium cum ea adire potes. Cum ea. i. cum Vectoria.

si litis æstimatio permittitur.] Id est, si Vectoria iudicium suscipere & litis æstimationem sufferre malit, quam noxæ dedere aut indefensos seruos relinquere. Nam alio qui recusare atq; euitare iudicium potest.

si forte.] Confer §. si fornicarius l. 27. D. ad leg. Aqu.

Tamen cum.] Puto legendum, tam in eum qui ad fornacem obdormiuit, quam in eum qui ignem subiecit, uel negligenter curauit.

Sive homo perit sive debilitatus est.] Hæc uerba pertinent ad superius exemplum de medico, & reponenda uidentur continuo postilla, *Aquilia cessat.* Omissa uero sunt a compositoribus. pandectarum fortasse quod Caij sententiam magis probarent, quæ extat in l. 8. D. eod. tit.

Relegatum est.] Relatum est.

Et ait.] Viuianus scilicet, quod ex præcedentibus consequitur. In Pandectis tamẽ scriptum est, Proculus: & rectius quidem vt sequentia indicant.

Me inter actionem.] An inter actionem accipiemus incerti actionem siue in factum subsidiariam: an potius ita legemus: Me interim actionem, id est in factum impetrare. Quod mihi quidem magis probatur. Interim vero, id est, ante damnum datum. Et proprie impetrare de huiusmodi actionibus usurpauit, quæ & permitti dicuntur. l. 45. D. solut. matr. & indulgeri tribuique l. 28. D. de procurat. & accommodari l. 22. D. de aqua & aqu. pl. arc. l. vlt. D. de transact. §. item si quis postulante. Inst. de actionib. & constitui l. 16. D. ad exhibend. & decerni l. 2. D. de administrat. rer. ad ciuitat. pert. l. 20. D. de tutel. & rat. distrah. l. 22. D. de constit. pec. l. 2. §. interdum. D. de vulg. & pup. subst. l. penul. D. de adquir. hered. l. 15. §. eleganter. D. de damn. inf. l. pen. D. de fideic. libert. l. 46. §. 1. D. de administr. tut. nempe quia ex æquitate causa cognita dari l. 15. §. Prætor ait, si quis. D. de iniur. l. 18. §. vlt. D. de damn. infect. l. 5. D. de præst. stipul. Actio directa ordinaria est l. 5. C. si res al. pig. data sit. & vtili Prætorisq; opponitur. l. 26. §. 2. D. de noxal. act.

Ad exemplum Aquiliæ.] Sic in l. 53. D. ad leg. Aqu. in factum actio ad exemplum legis Aquiliæ, & vtilis actio damni iniuria quasi ex lege Aquilia in l. 51. D. de furt. Vtilis actio ad exemplum directæ instituitur. l. 1. C. de precario. vnde & vtilis in rem quasi in rem actio dicitur in l. 1. §. proponitur. D. de superficieb.

Sed & si quis serui inquilini.] Fortasse melius, sed & si serui inquilini in sulam exusserint.

Et fructui misi sint.] Lego, mihi sint,

Hæ.] Sic in vet. ex.

AD TIT. XIII.

Non transmouebis.] Deutero. xix. Extat & de Termino prisca lex Numæ Pompilij apud Verrium Flaccum, qua qui terminum exarasset, ipse & boues sacri erant. Nihil fere religiosius Numa sanxit. Nam & templum vt deo posuit, & ferias instituit, noluitque animatum quicquam pacis Præsidi sacrificari, quod Plutarchus in Romaicis eleganter sic expressit, τὸν τέρμινον ὡς ἑσθονερον καὶ φιλανει φιλίας καὶ ἀφύπνου, ὡς δὲ αἰματόν καὶ ὡς φόνον καθάρου καὶ ἀμικτόν διαφράσσεται. Sed hoc iam suo tempore neglectum idem alio loco testatur, vnde & Horatius in Epod. Et agna festis cæsa Terminalibus. Quin & Siculus Flaccus in terminis defigendis, hostiæ immaculatæ cæsa sanguinem instillari solitum scribit, & Prudentius extis seu gallinæ pulmone termino fieri significat. Illud quoque Numæ videtur, vt Terminum non nisi sub diuo sacrificaretur, quod nefas putaret Terminum

intra tectum consistere. Itaque quo loco colebatur, super eum foramen patebat in tecto, vt Sex. Pompeius tradit. Quod etiam cum Capitolium Tarquinius ædificaret religiose obseruatum Seruius testis est, ob idque in Capitolio pronam (sic legendum apud Seruium non *primam*) partem tecti patuisse quæ lapidem ipsum Terminum spectaret. Vnde non abs re quæri potest, Plinij verba hæc ex libro 18. cap. 2. *Tertiam ex iis nominare sub tecto religio est, an ad Terminum referenda sint, an ad Dionysium.* Ἡ δὲ γὰρ τοῦ διότυρου ἀνωταύτη ἐστὶν ἱερά, vt Plutarchus ait. Ego quidem ad Terminum malim, & nominandi vocabulum ad sacrificium quam ad iusiurandum referre. Et fortasse ille locus mendo non caret, atque ita potius alicui legendus videatur, *Terminum ex XII. nominare sub tecto religio est.* Nam de Termino multa duodecim tabulis cauta quis nescit: in quas etiam si quis veterem illam Numæ sanctionem translata velit, non contradicam. Sic enim & vbi XII. tabularum auctoritas contemni cepit, eadem illa quæ legibus cauebantur, in alia latorum nomina transferunt, vt Macrobius ait lib. 3. Satur. cap. 9. Sane & de sacrificijs & religionibus non pauca iisdem tabulis comprehensa. M. Tullius satis significat in libris de legibus, & Seruius tradit multa de sacris ab Faliscis petita post x. tabulas magna ex parte ab Atheniensibus mutuatas, quæ reliquis duabus Decemviri complexi sunt. Adscribam vero & ipsa Liuij verba ex quibus etiã post XII. Regias leges retentas intelligamus. Sic igitur cum de Tribb. militum Consulari potestate ageret lib. 6. *In primis fœdera & leges (erant autem eæ duodecim tabulæ & quædam Regiæ leges) conquiri quæ comparerent, iusserunt.* Alia ex iis edita in vulgus: quæ autem ad sacra pertinebant, à Pontificibus maximis ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa. Itaq; mirum videri non debet quod apud Tacitum legimus censuisse Claudium ad incestum procurandum sacra ex legibus Tullij regis piaculaque apud lucum Dianæ per Pontifices danda: Et in libris nostris de muliere quæ prægnans mortua sit humãda legem Regiam recitari audimus. At hæc paulo audacior coniectura est, & iam ipsi Notarum terminos exarauimus.

In eum qui per vim.] Sic apud Paulum scriptum est libro 1. Sent. vbi in vet. exempl. annotatum reperi idem statui in Codicis Theodosiani lib. 2. sub hera 26. quæ constitutio hodie desideratur.

Dius Hadrianus.] Refertur & in l. 2. D. eod. tit.

Visus causa.] puto legendum *usus causa*, quod à compositoribus Pandectarum omissum est.

AD TIT. XIII.

Quicumque plagiauerit.] Exod. XXI. Deuteron. XXIII.

Ciuen Romanum ingenuum.] vet. exemp. *Ciuen id manum ingenuus liber.*

Impp.

Imp. relegatur.] Sic vetus, quo significatur, in perpetuum relegari.
Super ea re.] vetus codex habuit *superare*.

Intra milliarium centesimum.] Fuit hic terminus vr̄bis, aut potius Præfeturæ vr̄banæ & solitarum regionum l. 1. §. initio. D. de off. Præf. vr̄b. vbi quod in Pand. Fl. scriptū est, *Egressum est P. V. notionem*, eadem phrasi dictum videtur qua in l. 12. §. facti. D. de capt. & poss. sequendum est Iuliani sententiam: & in l. 19. D. de nouat. *denegandum est exceptionem* quibus etiam non dissimiles dicendi rationes notari possunt in l. 1. §. vlt. D. de contr. tut. act. l. 12. D. Si quis omiff. cau. test. l. 19. §. 1. D. de negot. gest. l. 45. sub fi. D. Solut. matr. vnde & in l. 4. §. non omnis. D. de remilit. sic lubentius legerim, *Nec tamen facile indulgendum est extra ordinem iudicationem his qui negotium ante habuerunt: sed si in transactionem res recidit, indulgendum est.* Extraordinem autem iudicatio indulgetur vt militi.

Cognoscat.] Extraordinem, vt de expilata hereditate dicitur in l. 3. D. de exp. hered.

Sit in via commissa.] fortasse melius; *Sit iniuria commissa*: quanquam & excusa lectio defendi potest.

Quam præsidis partib.] l. 4. C. ad leg. Fab. de plag. l. 2. C. de pæn. Quædam prouinciæ procuratoribus cohibebantur vt Tacitus loquitur: sed alię vt procuratoribus tantum qui ne deportandi quidem ius habuerunt: aliæ vt Præsidis vicem tuentibus.

Plane post sententiam.] videlicet cum iam de bonis quæritur, non de crimine, l. 1. & 2. C. vbi cau. ff.

Huius certe.] Hic locus proculdubio corruptus est, & si quid coniectura valeo, deest nomen aut vr̄bis aut regionis Armeniæ. Hoc vt suspicer, facit *Certæ* reliquum nomen quo Parthis ciuitatem significari Hermolaus Grammaticus ex Stephano auctor est.

Qui ciuem Ro. eundemque qui.] Malim, *eumue qui in Italia liberatus sit*: quod etiam sic interpretari audeo. Italiæ multa olim fuere priuilegia cum in censitionibus, iure nexus, vsucapione, exceptione annali, tum in iure capiendi, & aliis huiuscemodi, quæ pro summo beneficio prouincialibus quibusdam coloniis postea concessa sunt, vt eodem iure essent quo & ipsa Italia: quæ ob rem iuris Italici dictæ sunt, quod ius est liberæ ciuitatis, siue liberæ conditionis, cuius signum apud eas fuit Marsyæ simulachrum, vt Seruius in Virgilium notat. Huius generis priuilegiorum Italiæ illud etiam fuisse videtur, vt quem Latinus in Italia manumitteret, quamuis Romanum ciuem non faceret, tamen quod ad legem Fabiam, eodem iure esset quo ciuis Romanus. ait autem.

Liberatus sit.] Proprie. Nam Latinus vt dixi, qui manumittit, ciuem Romanum facere non potest. itaque hæc non iusta manumissio est, sed liberatio potius à seruitute. Denique non est hic reuera actus le-

gitimus, & iterari potest. Sic enim legimus apud Vlpianum iteratione fieri ciuem Romanum qui post Latinitatem quam minor annis xxx. acceperat, iterum rite manumissus est ab eo cuius ex iure Quiritium seruus fuit, cuius rei & Iustinianus meminit Nouell. 78. & in illo Regularum fragmento, cuius iam superius meminimus, scriptum est minorem xx. annorum manumittere nec vindicta posse, nec testamento. itaque nec Latinum facere posse. tantum enim apud Consilium posse manumittere seruum causa probata. hunc autem qui manumittitur quocumque sit annorum, Latinum fieri, & solum ad hoc ei procedere libertatem vt iterum manumitti, & ciuis Ro. fieri possit.

Vendiderit.] l. 15. C. hoc tit. Sed hoc Apuleius legi Corneliae tribuit lib. 8. de asin. aur. Prudens. inquit, crimen Corneliae legis incurram, si ciuem Rom. pro seruo uendidero. Et vero falsi ab emptore redargui posse videtur, vt & is qui duobus eandem rem vendiderit, l. 21. D. ad leg. Corn. de fals.

sestertius l.] *sestertium.* hæc est illa pœna pecuniaria legis Fabia quæ in desuetudinem abiisse dicitur in l. ult. D. eod. tit. cuius tamen vestigia quædam reliqua sunt in l. 12. D. de manumiss. & l. 12. §. sed si in captiuo. D. de capt. & postl. quibus etiam aliud quoddam huius legis caput continetur: itemque aliud in l. 1. §. 1. D. de fugit.

Populus.] Leg. populo, hodie fisco l. 6. C. hoc tit. cuius rescripti pœna ex lege Fabia, prohibitio vero ipsa ex S. C. est l. quod sæpe. §. si quis amico. D. de contrah. empr. l. arbor. §. Iudex. D. comm. diuid.

Sciendum est tamen.] Sunt hæc collectoris, qui Nouellarum constitutionum nomine videtur innuere Cōstantini legem qua ob plagium liberi hominis, seruus aut libertinus statim, id est primo quoque munere bestiis obicitur: liber sub hac forma in ludum datur vt antequam aliquid faciat quo se defendere possit, gladio consumatur l. 1. C. Th. ad leg. Fab. de plag. sed extrat & antiquior paulo Diocletiani constitutio qua in vrbe hoc idem crimen capite vindicatum est l. 7. C. eod. Quo pertinet etiam Nouella Leonis 66.

AD TIT. XV.

Non inueniatur.] Deuter. xviii.

Vlpianus lib. vii. de off. Procos.] Hoc libro Domitius de variis criminibus tractauit, atque inter cætera de iis quæ ad religionem pertinent: vt mirum non sit quod eo etiam rescripta principum nefaria collegerat, vt doceret quibus pœnis affici oporteret eos qui se Dei cultores profiterentur. Quod eum totis septem libris de officio Proc. fecisse ex corrupto Cælij Lactantij loco hæctenus male creditum est.

Interdictos est.] Lego, interdita est.

Vetus hæc.] Seruius 4. Aencid. Cum multa sacra Romani susciperent, semper

magica damnarunt, Probrosa enim ars habita est. ideo excusat cum ait. Testor ego magicas inuitam accingier artes. Exrant vero & varia de Mathematicis Senatusconsulta apud Tacitum libro 1. & 12. Annal. & primo secundoque Historiæ Augustæ, cæterosque eius ætatis scriptores, quæ hic colligere neque otij neque instituti est nostri, quibus potius esset quæ sequuntur in integrum restituere, si quam facile est peccare, tam facile esset peccatum corrigere.

Similem incertum.] Fortasse, similem artem.

Et professio.] Legendum videtur an exercitio & professio. Et quidem &c. atque ita Oiselo nostro videtur, qui & paulo post ita legit, Nec disimulandum &c.

Et publice reprehenderent.] An potius, responderent? Nam & horum ut iuris conditorum proprie responsa dicuntur.

Qui uisi erant.] Fortassis melius, qui ausi erant uel consulere uel exercere, quam quod &c. Quo pertinet aureum illud Taciti ex lib. 1. Histor. Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra & uetabitur semper, & retinebitur. Est uero hoc vulgi uocabulum. Gellius lib. 1. Vulgus, inquit, quos gentilitio uocabulo Chaldaeos dicere oportet, Mathematicos uocat. Et Ammianus lib. 29. Mathematicis, ut memorat uulgus, quo etiam libro plura ille de Mathematicis.

Ad locum.] Sic olim notare solebant particulas quas ex constitutione aliqua aut recitabant, aut exscribebant, adiectis etiam interdum primis constitutionis uerbis: cuius moris plures sunt in Theodosiano codice reliquæ, quibus etiã accidit ut ea uerba nescio quomodo in textum ipsum irreperent, & excerpti partem occuparent, ut in l. 3. de postulan. & Nouella Maioriani de Episcopali iudicio.

Motu Cassiano.] Est & huius Cassiani furoris tumultusque mentio in eo Pauli fragmento quod extat in Codice Iust. sub titulo ad leg. Jul. maiest. & apud Terryllianum in libro de fuga in persecutione, & in Apologetico. historia ipsa à Capitolino & Gallicano pluribus narratur.

In Insula Syrum.] Lego, in insulam Syrum. Est & eius insulæ mentio apud Strabonem: & Seruius ad illud Virgil. 3. Aeneid. Mycone celsa Gyaroque relictis, Quidam, inquit, per historiam dictum putant. Nam inter Myconem & Gyaron Syrum unam de Cycladibus esse dicunt, unde fuit Pherecides philosophus. Sic enim in optimo exemplari reponendum arbitror: nam totus ille locus in editis hæctenus exemplaribus deest.

In communionem.] Fortasse melius, communiorem.

Inanisima.] An potius, Inmanisima?

Ornare.] Malim, ordinare.

Maximi enim criminis.] Seruius ad illud Virg. ex lib. VIII. Veterū ne ignara Deorum, Cautum, inquit, fuit & apud Athenienses & apud Romanos, ne quis nouas

introduceret religiones, nam ideo & Socrates damnatus est, & Chaldaei & Iudaei sunt urbe depulsi.

Debere.] Puto legendum, neque reprehendi à noua uetus religio debet. Maximi enim criminis est retrahere quæ semel ab antiquis tractata & definita suum statum & eursum tenent ac possident.

De terroribus.] Sic vetus exemplar, nisi quis agnoscat, deterioribus: quo uerbo, ne quid dissimulem, à principibus Christiano nomini infensissimis, sacrosanctam religionem perstringi credibile est. in eoque etiam miror huius collectoris simplicitatem dicam, an potius oscitantiam, qui cum hoc maxime ageret ut longe antè diuinis legibus cautum ostenderet, quod Romanis postea comprehensum est, non animaduertit quæ contra Manichæos dicuntur, etiam ad Christiani nominis contumeliam pertinere. Sed ea fuit apud maiores nostras conscientiæ fiducia, is candor, ut summa fide omnia referrent, & atrocissima hostium maledicta facile contemnerent. Sic in Theodosij Codice constitutiones quasdam legimus, quibus sanciantur Synodi quæ ab uniuersa Ecclesia pro hæreticis damnatæ reiectæque sunt. Sic & Iuliano Diui nomen ut optimo principi tribui audimus. Quæ si quis tollenda censeat, tollat & ea quæ in eo qui Iustiniani nomen præfert in monazontas ex Valentis furoribus reliqua sunt. Tollat & Cyrilli libros quibus Iuliani in Christianos disteria inseruit. Tollat denique Taciti, Trogi, Suetonij, Galeni, Luciani, Rutilij, Eupapij, atque adeo Iuliani ipsius scripta, quibus sacrosanctam religionem conuitijs atque opprobriis lacepsitam quis non videat? Sed est omnium fortissima ueritas.

Nuperrime.] Sane & Eusebius eius sectæ originem ad horum principum initia retulit, quanquam ex Epiphanio satis constat sub Aureliano & Probo Imp. capisse in Perfide, unde Manes, tandem & ipse à Persarum rege supplicio affectus, discipulos habuit plures, qui insanitæ nomē vitantes, se non Manichæos, sed Mannichæos appellarunt, & auctorem suum Mannem, tanquam manna fundentem. Ne quis autem putet Manichæos Christi nomen ita professos ut à gentiliū sacris abstinerent, ut cæteri fere qui à nostris heretici iudicati sunt, discat ex Philastrij indice eos diis etiam deabusque immolasse.

Detrimenta inferere.] Malim, inferre.

Vsq̄ ad eos.] Melius, usque adeo, & paulo post, ad hanc inauditam & turpem. & per omnia infamen sectam.

Ipsos quoque Forensibus uel Proconnesibus.] Metalla multa numero fuerunt ut Vlp. ait in l. 8. §. est pœna. D. de pœn. Proconensium mentio est apud Iustinianum Nouell. 22. De Forensibus nihil dum legisse memini, & fortasse hic locus sic potius legendus est, *Elaſonensibus uel Proconnesibus metallis*, si quidem & ille apud Plinium integer

manfit sub finem lib. v. histor. in quo ita legitur, *Infulæ in Propontide ante Cyzicum Elafonesus, unde Cyzicenum marmor, eadem Neuris & Proconnesus dicta.* Sane τῶν φρονολογῶν καὶ χρονολογῶν ἀποδιδόντες μεταλλοῖς apud Theodoret. scriptum reperio. Apud Athanasium aliter. ἅς μεταλλοῦ (inquit) ἀποσταλλοῦ, καὶ μεταλλοῦ ἐν ἀπλῶς, ἀλλ' ἅς τὸ τῆς φωνῆς ἔσθαι καὶ φωνῆς καταδινασέμεν. ὁ δὲ ἰδιόγως ἡμῶν μόνος διώκεται ἴσως. At in Epiphania ἐν τῶν φρονολογῶν μεταλλοῖς legitur.

Uti igitur hic locus sic restitui potest, ut igitur stirpitus amputari radix hæc nequitæ de seculo nostro beatissimo possit, deuotio tua. i. ac. ft. tr. nost. obsecundare festinet.

AD TIT. XVI.

Scriptura.] Hoc est illud celebre iudicium quod à Moysè refertur lib. IIII. cap. XXVII.

Gaius lib. III. Instit.] Sic vet. ex. Et Gaium quidem libros quatuor Institutionum scripsisse Digestorum index præfert. Sed hæc esse potius ex libro secundo facile adducor ut credam. Cæterum ex iis fragmentis satis iam liquebit qualem nobis Gaium Anianus supposuerit. Meliore aliquanto fide Tribonianus magnam horum partem transtulit in Institutiones suas sub Tit. I. lib. 3. ex quo & ista supplere atque emendare multis locis facile est. nos ea tantum attingemus quæ compositores vltro omiserunt vel quod posterioribus constitutionibus immutata, vel quod penitus in usu esse defuissent.

Pronepos proneptisus.] cæteri que ex his descendentes. Hos enim omnes suorum appellatione lex XII. tab. comprehendit, ut recte Fl. scriptum est in l. 220. D. de verb. sig. Suorum igitur nomen est ex XII. siue ex iure ciuili l. 7. D. de bon. dānat. Sui sunt legitimi l. scripto. D. Vnde lib.

Vxor quoque.] Huius iuris vestigium est in l. 95. §. 1. D. de verb. sign. Seruius in lib. I. Georg. Tribus, inquit, modis apud ueteres nuptiæ fiebant, usu, si uerbi gratia, mulier anno uno cum uiro licet sine legibus, fuisset: Farre, cum per Pontificem Max. & Dialem Flaminem, per fruges & molam salsam coniungebantur, unde confarreatio appellatur, ex quibus patrimi & matrimi nascebantur: Cõemptione uero atque in manu conuentione, cum illa in filia locum, maritus in patris ueniebat, ut si quis prior fuisset defunctus, locum hereditatis iustum alteri faceret. Hæc Seruius, non ille adulterinus & supposititiis ieiunatum animarum ineptiis & commentis hæctenus deformatus: sed Seruius putus purus, ex cuius fragmentis Danielis nostri beneficio interim hæc exscripsimus ea spe fore ut vir & doctrinæ & diligentia multæ, breui cum ex suis illis tum ex nostris exemplaribus Seruium nobis magna sui parte superstitem restituat. Porro ex hoc Seruii loco sane quam eleganti, illud mihi primum uideor didicisse quod Dionysius scribit de iure nu-

ptiarum quæ *κατὰ νόμους ἰσθῶς* contractæ sunt, ad confarreationem potius referenda esse, quamquam is omnino ritus Romuli temporibus nondum in usu fuisse videatur, si verum est quod Plinius scribit à Numa primum in sacrificiis far molamque fassam adhibita. Sed & illud, apud Tacitum lib. 4. Annal. & Histor. 4. confarreatis parentibus genitos, patrimos & matrimos significare, quo nomine hæctenus censiti sunt omnes quibus pater materq; superstites essent. nec id quidem sine auctoribus. Nam & hoc idem apud Sex. Pompeij breuiatorem in Flaminia legimus, & quem Dionysius Halicarn. lib. 2. & Plutarchus in Numa *ἀμφιβαλῆ πάτρια* nominant, Hefychius exponit *τὸν ἐπ' ἀμφοτέρω τοῖς γονεῦσι δάλλωντα, μηδὲν δὲ ἄρρα μίμον.* immo & ex Sibyllinis versibus hi à Politiano referuntur,

*χωρὶς ἢ νόμου χόρον αὐτὰ ἔχουσιν
 Καὶ χωρὶς πάτρων ἄρρω τὰ χυς· ἀλλὰ γονέων
 παύτων συντόμων οἷς ἀμφιβαλῆς ἔτι φύλλα.*

quos ille se de Zofimi historia sumpsisse ait. Sed adscribam ad eam rem pertinentia Zofimi ipsius Græca verba, quæ mihi ex doctis. disertissimique viri epistola Cl. Puteanus cōmunicauit, cuius ego eruditioni atque amicitia & hoc lubenter acceptum refero. nam Onuphrius quidem Panuinius Latine tantum antea retulerat. Sic igitur Zofimus cum de ludis secularibus differeret, *ἡμεῖς δὲ σίτη ἐν τῷ κατὰ τὸ παλαιότερον ἀπέλλων ἰσθῶς ἴσθῶς ἐνὸν πάτρια ἐπαφανῶς* (Horatius claris patribus ortos, Tacitus patricios fuisse exponit) *μὲν τὰ πατρῴων τοσούτων οἱ πάτρια ἀμφιβαλῆς, ἐπὶ ἑστῶν ἀμφοτέρω τὸς γονεῦς ἔχοντες περίετας, ὅμως ἔδωκεν τῆς ἐλλείπων ἡγεῖ τῆς ῥωμαίων φωνῆ ἡγεῖται πάτριας, δι' ὧν αὐτὰ ἴσθῶς ῥωμαίων σὺντομων πάτριας.* Quæ noster Puteanus sic conciliat vt omnes patrimos matrimosq; proprie dictos putet qui parentes adhuc viuos haberent, eosq; præterea confarreatos: viuos, boni ominis causa: confarreatos, propter auctoritatem sacrorum. Sane quidem non alios veruſto more patrimos matrimosq; legi solitos verisimile est. Sed post omiffam confarreandi adfuetudinem (quod Tacitus iam ante Tiberij tempora accidisse significat) recte eius ætatis posteriorisque scriptores & ex usu & proprietate ipsa verborum quæ confarreationis nihil habent, eos patrimos matrimosque interpretati sunt qui modo patrem matremq; adhuc viuos haberent. Nam & sic olim pater patrimus dicebatur qui cum iam ipse pater esset, haberet etiam tum patrem. vnde & pater patratus Plutarcho in Probl. Verum quid prohibet & alios Seruij locos adiicere necdum, quod sciam, proditos, & totā coemptionem di confarreandiq; rationem quæ hæctenus non satis cognita fuit, exponentes? Sic igitur in illud lib. 4. Aeneid. *Liceat Phrygio seruire marito.* Sane hic, inquit, coemptionis speciem tangit. Coemptio enim est ubi libra atque

res adhibetur & mulier atque uir inter se quasi emptionem faciunt, quod ante iam in
 1. Georg. Teque sibi generum Teibys emat: quoniam coemptione facta, mulier in
 potestatem uiri cedit, atque ita sustinet conditionem liberæ seruitutis (sic in opt.
 ex. legendum arbitror) ait enim, Liceat Phrygio seruire marito, & in Geor-
 gie. Tibi seruiat ultima Thyle. Quoque omnis iste mos coemptionis & citra no-
 minis nuncupationem dotis datæ taxatione expediretur, quæ res in manum conuen-
 tio dicitur, subiunxit, Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ. Quid est enim
 aliud dextræ quam in manum conuenire? quæ conuentio eo ritu perficitur ut aqua &
 igni adhibitis duobus maximis elementis, natura coniuncta habeatur: quæ res ad far-
 reatas nuptias pertinet, quibus Flaminem & Flaminicam iure Pontificio in matri-
 monium necesse est conuenire. Et paulo post, Mos apud ueteres fuit Flami-
 ni ac Flaminicæ ut per farreationem in nuptias conuenirent, sellas duas iugatas ouis
 pelle superimicta poni eius ouis quæ hostia fuisset, & ibi nubentes uelatis capi-
 tibus in confarreatione flamen ac flaminica residerent. ait igitur, locauit. locata enim
 uxor dicitur quod simul cum eo sedeat dum confarreatur. Confarreationes autem tonitru
 dirimit. Ad hanc autem coniunctionem quæ frugibus & mola facta
 fieret, etiam diffarreationem proprie pertinuisse existimo, cuius apud
 Sex. Pompeium mentio est: ut non nisi contrario sacrificio vincu-
 lum illud confarreationis dissolueretur, quo nihil religiosus in fa-
 cris fuisse Plinius scribit, cum cætera matrimonia ex x i. tabulis fa-
 cile dissoluerentur muliere domo exacta & res suas habere iussa cla-
 uibusque ademptis: demum etiam confarreatione iam abolita, per
 libertum septem ciuibus Rom. puberibus presentibus ex lege Julia.
 Sed quod sequitur apud Seruium eo loco quem initio recitauimus,
 non sic accipiendum est, quasi in manum conuentio coemptione so-
 la fiat, quod Boëtio visum est. nam & farre conuenitur in manum
 ut Vlpianus scripsit Tit. 9. & Seruius idem postea significat. Ergo
 tam confarreatione quam coemptione maritus in patris locum,
 vxor non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti
 & in sui heredis locum venit, estque in eius manu mancipioque, aut
 eius in cuius maritus manu mancipioque est, & Materfamilias pro-
 prie appellatur, ut post M. Tullium A. Gellius scripsit, & ex illo
 transtulit Seruius in lib. x i. Aen. Sed hic illud quæri non abs re po-
 test, An ea quæ anno vno continuo absque usurpatione apud virum
 fuit, post annum in eius manu esse incipiat & hæres ei sua fieri.
 Quod & Fabro nostro visum est, & mihi probatur. Nam quo
 usucapio, quæ etiam rerum nec mancipi esse dicitur, nisi ut vxor viri
 fiat iure Quiritium, & in eius potestatem redigatur? Et sane M. Tul-
 lius hoc etiam modo mulierem in manum conuenire significat. sic
 enim in eius oratione pro L. Flacco constanti omnium exemplarium
 fide scriptum legimus. In manum, inquit, conuenerat. Nunc audio. sed quero,
 utrum usu an coemptione. quanquam scio non deesse qui in matrimoniū malint.

sed quod sequitur, Vsu non potuit: nihil enim de tutela legitima potuit sine omnium tutorum auctoritate deminui, indicat hoc saltem vsu mulierem tutela liberatam, quod sine minima capitis deminutione fieri non potuit, id est, in manum conuentione vt Vlpianus explicat libro singulari Regularum Tit. de tutelis, & Boethius ipse in Top. sequitur, qui hæc alioqui non satis iuridice distinguit. Dicit aliquis. Quænam igitur erit illa forma vxoris quæ matrona proprie dicitur & tantummodo vxor habetur? Nempe hæc eadem quæ vel sine legibus cum viro est antequam vsucapta sit, siue intra annum, seu post annum, si trinoctium abfuerit vsurpandi causa, vt ex Q. Mutio Gellius tradit. Atqui hæc concubina potius videatur quam vxor. Immo vero in eius mulieris consuetudine cum qua connubium esse potest, non concubinatum, sed nuptias intelligimus l. 24. D. de ri. nupt. Et hic igitur in dubio nuptiæ præsumuntur, & vxor illa interea est: sed nõ est in mancipio viri antequam vsucapta sit. Hæc nos post tot scriptores de ritu & iure nuptiarum non adeo trita, qui aut non satis idoneo loco, aut prolixius tractasse arguet, ei ego tam ingrata reprehensionis occasionem sic inuidebo, vt tamen æquiores mentem optaturus sim.

Is sua heres est.] lego, ei sua h. e.

Quæ in filij manu est.] Ergo & qui in aliena potestate est, vxorem in manu habere recte dicitur. immo & hæc materfamilias a nostris auctoribus appellatur l. 44. D. de adopt. licet eius vir paterfamilias nõ sit: quod Verrij definitioni non satis congruit. Alias autẽ materfam. dici solet quæ nupta in patris vel aui potestate non est l. 30. & 34. D. Solut. matr. l. 5. D. de bon. damnar.

Quorum nomina ex lege.] Puto legendum, quorum nomine ex lege Aelia Sentia uel ex S. C. post mortem patris &c. quod pertinet ad illud caput legis Aeliae Sentia cuius Vlpianus meminit Tit. 7. Qui locus, vt hoc obiter moneam, sic meo iudicio restituendus est. In potestate parentum sunt etiam ij liberi quorum causa probata est per errorem contracto matrimonio inter disparis conditionis personas. Nam seu ciuis Romanus Latinam, aut peregrinam, uel eam quæ deditiorum numero est, quasi ciuem per ignorantiam uxorem duxerit, siue ciuis Romana per errorem peregrino. uel ei qui deditiorum numero est, aut etiam si Latino nupta fuerit, ex lege Aeliae Sentia causa probata ciuitas redditur tam liberis quam parentibus præter eos qui deditiorum numero sunt, & ex eo sunt in potestate parentum liberi. Quod subiicit de S. C. referendum videtur ad decretum amplissimi ordinis circa legem Aeliam de Consilio & causa probanda l. 1. in fine. D. de off. Cos. non tantum in minore sed & inter disparis conditionis personas, vt hic locus indicat. ad quod etiam consilium pertinere videtur l. 24. D. de manumiss. quæ alioqui si de iudicio liberalis causæ accipiatur, inter fugitiuas non immerito censebitur.

Et de

Et de eo filio.] Est hic & alius agnationis modus ex manumissione qui ab Ulpiano quoque recensetur Tit. 23. Porro hi casus si quidem post mortem contingerent, ad iuris antiqui formulam, *sin ante, sed post testamentum, ad legem Velleam olim pertinuerunt.* quod latius explicare non est huius loci.

Cum filius filiaue.] Et hæc ex eodem Institutionum Titulo suppleri atq; emendari possunt. Quod sequitur de agnatis, in titulum De successione agnatorum magna parte translatus est, quem cum hoc conferre cuiusvis operæ fuerit.

Aequum enim uidetur.] Lex XII. tabularum agnatis præfert suos quolibet sine distinctione. itaq; sufficit suum heredem esse, nec spectatur proximior sit an vltior. Quamobrem successione siue, vt hodie loquimur, repræsentationis ratio aliqua ex æquitate habita est, vt inter suos heredes in stirpes non in capita diuidatur hereditas. quod prudentium interpretatione receptum Gaius significat. At eadem lex deficientibus suis heredibus agnatum non quemlibet vocat, sed proximum: ob idque inter agnatos semper in capita, nunquam in stirpes diuiditur hereditas ex XII. tabulis. Qua etiam ratione idem in libertorum successione seruari Paulus tradit lib. 2. Sentent. ex sententia Iuliani in l. 23. §. 1. D. de bon. libert. Alio sensu auctores nostri dixerunt in suis & legitimis non esse successione sequentis scilicet gradus eiusdem ordinis post delationem aut acquisitionem. quod veteri iure perpetuum est, ea etiam ratione quod proximo tantum legitima hereditas deferatur. l. 1. §. sciendum. & l. 2. §. legitima. D. de suis & legit. Si tamen filius matris hereditatem ad quam ex Orfitiano vt legitimus vocatur, sibi delatam repudiauerit, aut cum agnouisset, abstinendi causa restitutus sit, cæteri legitimi admittuntur. Sed hoc fieri ex ipsius S. C. verbis indicat l. 2. §. si nemo. iuncto §. seq. D. ad S. C. Terryll. In bonorum possessione Vnde cognati post delationem successio est l. 2. C. de success. edict. nempe quia ex sola Prætoris indulgentia pendet l. 1. D. vnde cogn. Non est tamen successio post acquisitionem l. vlt. D. de success. edict. Eadem ratione tentari potest & in honoraria Vnde liberi esse successione, cum ea cognatis detur veluti emancipatis, nec tam spectetur ius ciuile quam ipsa natura §. emancipati. & §. minus. Instit. de success. quæ ab intest. def. Sed hæc omnia Iustinianus exæquauit.

Quos plerique consobr.] Hoc verbum Triumviris displicuit, qui consobrinorum nomine hos semper intelligi voluerunt: quod tamen per abusionem fieri Theophilus recte notat. idque verbi etymologia suadet. consobrini enim quasi consororini dicuntur. Nonius, *Consobrini ex duabus editi sororibus, de quibus exempla multa sunt in antiquis auctori-*

bus & maxime in Afranio & iuris uetustissimi scriptoribus. Sic legendum non uiris, qui error etiamnum manet apud Suetonium in Nerone, & Capitolinum in Pio.

Idco autem.] Lego, Idco autem non mortis tempore sed cum certum fuerit aliquem intestatum decepsisse, quia si quis test. &c.

Hoc iure.] Id est, iure ciuili, siue ex lege Voconia, ex qua est legitima cognationis nomen de masculis, non ex x 11. tabulis. Aliud uero ex edicto Pratoris obseruatur §. cæterum, de legit. agnat. success. Manfit tamen in cognatorum definitione masculorum nomen in l. 2. §. 1. D. de suis & legit.

Proinde agnationis iure.] non sunitatis. nam suos heredes fœminæ non habent. Hinc illa olim quæstio de iure apud Centum viros, Filius an frater debeat esse intestatæ heres. Sic enim apud Fabium legendum est lib. 4. Infit, nō intestato, vel veteribus libris ad stipulantibus. quod alias pluribus ostendimus in libro singulari de Centum uirilibus, Decem uirilibus Septem uirilibusque & Quinque uirilibus iudiciis. Et uero de intestati hereditate esset ea ineptissima quæstio, ut hodie est de matris successione post orationem D. Marci & S. C. Orfitianū, quibus id actum est ut sine in manum conuentione matrum legitima hereditas ad filios pertineret exclusis confanguineis & reliquis agnatis, quemadmodum Ulpianus scribit in fragmento. Tit. 26. ubi notandum est quod ait, sine in manum conuentione. nam & ante S. C. ea conuentionis in manum vis fuit ut liberi matri succederent, nō quidem ut liberi, sed ut fratres & agnati. An ut cōfanguinei? Non puto. alioqui sane reliquos agnatos tum quoque exclusissent. Et uero eis sanguinis nomen ut fratribus proprie conuenire non uidetur.

Sed alia faciat.] Malim, sed alia facit (vel fuit) iuris interpretatio &c.

Iamdudum autem.] Hæc est illa quæstio iam diu inter Iustinianei iuris interpretes vexata, tandemque usu potius nostro quam certo aliquo illorum iudicio definita ex veterum tamen consultorum sententia, quæ & ipsa legis fuit cum proximos agnatos ad successionem uocaret. Nam quibus proximorum nomen æque competit, quique æquo iure suo ueniunt, æquas etiam partes ferre rationis est. Sane cum alij ex legis aut statuti uerbis ut proximi uocantur, alij successionis quodam iure ex aliorum persona ueniunt, æquitas postulat & illis ex lege partem integram conseruari, & his in simul non plus iuris deferri quam ille habiturus esset in cuius locum partemque succedunt. Quæ uisio alterius tractationis est.

In tot portiones fuerunt.] Melius, tot portiones fient.

Gentiles.] Ponitur hæc lex à Cicerone nō suis omnino uerbis lib. 2. de Inuent. Si pater familias intestatus mori uir familia pecuniaque eius agnatorum gentiliūque esto. Quod de gentilibus restat ex x 11. tab. in l. 53. D. de uerb.

factum non fit, locus est ab intestato successioni. Itaq; iis replicatione doli nihil opus est qui sine testamento lege heredes fiunt. Verum dari potest casus quo necessaria est doli replicatio, vt si prius testamentum iure perfectum extet quo alij heredes instituti sint l. 2. D. de iniust. rupt. irrit. & hac replicatione doli opus habent aduersus liberos ipsos, propinqui, vxor, alumnus, aliaque huiusmodi personæ quibus ex imperfecto testamento legata & fideicommissa præstantur l. 38. D. de fid. libert. Ergo hæc doli siue exceptio siue replicatio ex persona eius qui opponet omnino æstimabitur. Dixit autem *Sine iure Prætorio*, qua hæc fuit minus solennis minusque difficilis testandi forma. Sed hæc Nouellis Constitutionibus varie immutata sunt. nos hic veteris iuris reliquias tractari meminimus.

Eorum quorum.] Hæc fortasse aliquis ita suppleuerit. *Eorum quorum testamenta rumpuntur aut irrita fiunt. quæuis ipso quidem iure testati decedant, hereditas ut intestatorum defertur.* At ego ipso facto testatos dixerò, Iure non dixerò, sed magis intestatos, nec inproprie quidem l. 1. D. de suis & legit. ac potius hunc locum ita suppleuero. *Eorum quorum testamenta rumpuntur aut irrita fiunt licet iure intestati decedunt, secundum tabulas bonorum possessio datur si septem testium signis signatæ sint.* Quod & Vlpianus scripsit in fragment. Tit. 23. & 28. Circa quæ illud admonere superuacuum non fuerit, videri Papinianum in eo qui post testamentum adrogandum se præbuit, hoc etiam exigere vt voluntatem quæ iure defecit recenti aliquo iudicio sui iuris factus confirmauerit, l. qui ex liberis. §. testamento. D. de bon. poss. sec. tab.

Gentibus deferebatur. S. me.] Puto legendum *gentilibus deferebatur.* Sane consanguineos lex non adprehenderat, sed interpretatione prudentum primum inter agnatos locum obtinuerunt. Inde in l. 1. D. de legit. tut. agnatis & consanguineis. & l. 30. D. de acquir. hered. legitimum uel consanguineum. & recte in l. 1. C. Quorum bonor. *Consanguineos,* inquit, *omnia prudentium responsa & lex ipsa naturæ successores faciunt.* Est enim hæc successio ex eo iure quod communi nomine ius ciuile appellatur l. 2. §. his legibus latis. D. de orig. iur. cuius & alia exempla si quis desideret, reperiet non obscura in l. 36. D. de statulib. & l. 34. D. de her. instit. itemque apud Ciceronem lib. 3. de officis.

Secundum legem Iuliam Papiamue quæstiti.] In l. vlt. D. de statulib. si mulier ex lege nupsit, id est intra annum præstito iureiurando se liberorum causa nubere, quod etiam ad legem Iuliam miscellam referendum Græcus interpres rectissime notat, & explicandū moneo ex l. Titio usufructus. §. vlt. D. de condit. & demonstr.

Et peregrinantes.] Recte. At in §. vlt. Inst. de hered. qual. & diff. placet magis quod præceptor meus restituit. *peregrinatos.* Diuersitatis ratio per se manifesta est.

Quibus bonor. posses.] Fortasse melius, *quib. ius bonorum possessionis propter Prætoriam actionem non crit necessarium.* Bonorum possessionis hic fructus est, vt commoda & incommoda hereditaria, itemque dominium rerum quæ in his bonis sunt, tribuat. quod in suis heredibus non est necessarium, cum ipso iure in eis ita continuetur dominium, vt nulla videatur hereditas fuisse quasi & olim domini fuerint simul cum defuncto. Possessio vt viuo patre filio continuata non intelligitur, sic nec mortuo continuatur. nam nec ea quidem hereditatis aut iuris est, sed facti, & non nisi naturaliter comprehendi potest iure P. Ro. l. 23. D. de adq. poss. l. 91. D. ex quib. caus. maior. Moribus nostris aliud fere obseruatur, fortasse ex l. cum miles. D. eod. in qua Doctor meus pridem admonuit possessionis nomine vsucapionem significari, non vsu rei quem nec bonorum possessionis beneficiũ transfert. Ergo hic Prætoriam actio non male fortasse accipietur de omnia quam prætor bonorum possessori adcommo- dare dicitur in §. 1. Inst. de perpet. & temp. act. Sed nescio quomodo mihi plane non satisfacit generalior illa interpretatio subodoranti aliud quid subesse quod ego lubentius ad inofficiosi querelam retulerim cuius ordinandæ gratia suis heredibus licet bonorum possessio agnosci so- leret l. 8. §. 1. necessariam tamen non fuisse indicat l. 7. D. de inoff. test. Emancipato necessaria fuit, cum quod alioqui non iure inofficiosi arguere testamentum videretur nisi qui ex officio institui debuerat, tum quod frustra intestatum patrem faceret nisi ab intestato rem ha- biturus: quod solo Prætoris beneficio per bonorum possessionem consequi potuit, alio iure penitus extraneus. Est igitur hæc saltem res inofficiosi Prætoriam actio. Quod vereor ne non satis multis pro- betur. Et tamen video omnibus eam concedi quibus Prætor bono- rum possessionem defert etiam contra ius ciuile. l. 6. D. eod. & in ea successionem esse vt in honorariis l. 14. & l. 13. item, Prætoriarum actionum numero generaliter censerit quas Prætor bonorum pos- sessori accommo- dat. Nec me mouet Centumviralis iudicij auctori- tas, cum & possessoria hereditatis petitio eius generis sit, quam ta- men honorariam esse nemo inficias ierit. Eadem vero non facile dixerò de auxilio quod contra inofficiosas donationes ad exem- plum querelæ inductum est, quod esse videtur ex constitutionibus, id est ex Alexandri literis quarum exemplum extat in l. Titia Seio §. Imper. D. de legat. 1. qui §. vt hoc obiter moneam, a Pauli responso quod proxime sequitur diuidendus non fuit, ne non satis ad Titu- lum pertineret. Videtur autem rescriptum a consulente libello præ- positum vt iudicaret Paulus an ad propositæ quæstionis definitio- nem accommo- dari posset. Quod alias fieri solitum ne lōgius abea- mus. indicat l. 3. C. de inoff. donat. & vlt. §. 5. Tit. 10.

Soluenda sit hereditas.] Fortasse melius, *soluendo non sit hereditas.*

Idque euenit.] Legendum videtur, *idemque euenit si cum eo ex duobus filiis in pari numero nepotes successerint.*

si sit frater.] Desunt hic aliqua quæ cum ex superioribus, tum ex ipso Paulo lib. 4. Sent. tit. 8. restituere per facile est.

Virium] An *iurium*: an potius *uiritim*: Sic videtur.

Voconia ratione.] Forte melius, *relatione, vel, rogatione.*

Vlpianus libro singulari.] Extat hodieque magna pars horum inter Vlpiani fragmenta quæ esse omnia ex libro singulari Regularum supra ostendimus.

Intestatorum gentilitiorum.] Sic vet. rectissime. Nam in libertinorum successione non eadē obtinent, vt postea monet Vlpianus, Gentiles Q. Mutius definiuit ingenuos ab ingenuis oriundos, quorum maiorum nemo seruitutem seruiit. Et recte Corn. Fronto, *Gens*, inquit, *seriem maiorum querit.*

Si intestatus.] Plures legunt, *Si intestatus moritur cui suus heres nec est, agnatus proximus familiam habeto*: nam illud Ac nondum pro huius legis particula agnoscere potui. Sed in re tam trita iam nescio quomodo diutius immorari piget, postquam, vt olim pueri ab Homero in scholis, ita nunc vix dupondij à XII. tabularum carmine non ediscendo sed recensendo retractandoque iuris studia inchoant.

Si agnatus.] Hoc videtur ab Aniano in collectione sua omissum quod apud Caium legisset gentilitium ius in usu non esse: qua etiam ratione in proxima superiore sententia ingenuorū nomen pro gentilitijs supposuit. Ex quo apparet ne fragmentis quidem Vlpiani de iure veteri temere esse credendum. Porro hæc lex nō infeliciter fortasse ita restituatur, *SI AGNATVS nec sit gentiles familiam habeant. aut potius, vt Oiselo nostro videtur, heriscant nunc nec gentilitia iura in usu sunt.* Exciscundi verbum XII. tabularum esse constat. Sed an huic capiti omnino conueniat, alij viderint. Ego quidem nō puto delinquere eum qui in dubijs quæstionibus ab amico non facile dissentit.

Item ab intestato Inst.] Existimo sic hæc potius reponenda esse, *Idem lib. 11. Institutionum sub Titulo De successione ab intestato. nec cur ita existimem, intelligere difficile est.*

Et si ex diuersis matribus.] Varro libro de gradibus, *Germanus de eadem genitrice manens* (sic legendum apud Seruium in lib. 5. Aeneid.) *ut multi dicunt de eodem germine, quos illi tantum fratres uocant.*

Causæ probatio.] Ex lege Aelia Sentia & SC. vt ante diximus. Sed & ex lege Iunia cum Latinus causa probata apud Prætozem vel præfidentem prouinciæ tam ipse quam filius filiaue eius & vxor Latina liberis ius Quiritium cōsequitur ea forma quam Vlpianus explicat Tit. 3. Quod si quis legi Iulij potius tribuet, fortassis non longe aber-

rauerit. Nam & eius esse videtur illa conditio Liberos quærendorum causa nuptialibus etiam tabulis adscribi solita, cuius & Augustinus meminit: nec ad ullam magis rogationem priuilegia ob prolem pertinent. Non frustra etiam iuris auctores cum ad eam legem scriberent tam diligenter annotarunt quis anniculus diceretur l. 132. & l. 134. D. de verb. signific. Caterum hæ causæ probationes non parum inter se effectu differunt. Nam ex lege Aelia Sentia cui Romano ciuitas redditur non datur: At ex lege seu Iunia, seu Iulia, Latino ciuitas datur non redditur.

Et consanguineis.] Fortasse melius, *A consanguineis. id est, post consanguineos: vt & paulo post, A suis heredibus: post consanguineos &c.*

Itemque ciuitate donatos.] Ex lege Iunia, atque etiam fortassis ex lege Aelia Sentia: quanquam hi non tam videntur ciuitate donati quam ciuitati redditi, vt iam attigimus.

Vel stirpis libertinæ.] Ex libertino natus ingenuus est hoc iure. Itaque nihil est quod in eo ius patronatus exquiramus. At si ex manumissione Latinus tantum factus, liberis postea susceptis vel alio quouis modo ius Quiritium consequatur, ille quidem libertinus manet qui semel iterum ve manumissus est, liberi nou tam libertini quam libertinæ stirpis sunt. Et hos fortassis Vlpianus hoc loco significare videatur. Dicitur vero & nostris auctoribus libertinus filius qui a patre in seruitute susceptus postea cum ipso simul manumissus est l. 17. §. 2. D. ad SC. Trebell. l. vlt. D. de iure deliber. Sed hic, vt quod sentio dicam, libertinæ conditionis est liberti filius post patris manumissionem susceptus, cuius olim bonorum possessio alio iure quam ingenui deferri solebat. Nam eo intestato & sine cognatione mortuo vocabatur manumissor patris, itemque cognati eius per virilem sexum descendentes etiam si capite deminuti essent. immo & si huius liberti patronus & ipse libertus esset alterius, etiam patroni patronus vocabatur, itemque eius agnatio. Quod Iustiniano iniquum esse visum est, qui tamen id lucri patronis tantum superstitibus concessit ea constitutione quæ in eius Codice sub tit. de bonis libertorum, hæctenus desiderata est. Et sane hic quamuis libertinus sit, nullum tamen reuera libertus dici potest. Sunt vero hæc inter se diuersa. Libertini nomē statum & conditionē personæ magis respicit: liberti, ius patronatus: quod Valla subtiliter annotauit, & probat l. vlt. D. si ingen. esse dic. & l. 1. D. de excus. tut. in qua nõ frustra Modestinus. libertinis ait tutores dari a magistratu potius quã libertis. Cur ita? quia libertis fere sunt tutores legitimi patrōni & patronorum liberi etiam pupilli, vt Vlpianus in fragmentis significat tit. 11. illis verbis, *Idemque permittit in pupillo patroni filio. recte. id est si patroni filius tutor pupillus sit, nec auctor esse possit. Et est illud reliquū vestigium iuris antiqui,*

cuius meminit Iustinianus in l. vlt. §. 1. C. de legit. tut. ex qua & in l. 16. D. de tutel. Tribonianus addidisse videtur illa verba *perfectæ ætatis*. quod obiter indicasse placuit.

Post familiam patroni.] Legendum, *Post familiam liberti*. sic sæpe hæc inter se reciproca nomina confundi solent, emptor venditor, petitor debitor creditor, locator cōductor, pater filius, patronus libertus. *Post familiam* autem, id est post liberos, vt in l. 195. §. 1. D. de verb. sig. l. 23. D. de adopt. In bonis libertorum lex xii. tab. non nisi suos liberos patronis prætulit, Prætor etiam emancipatos: Iustinianus omnes omnino liberos licet in seruitute suscepti cum parçibus manumissi essent, & siue soli siue cum alijs post libertatem susceptis ex iisdem alijsve nuptiis. Non existentibus liberis vel exhereditatis, primum patroni & patronæ vocantur, inde patronorū liberi etiam posthumi & in adoptionem dati cuiuscunque sint sexus, sublata illa veteris iuris imagine qua filia patroni filius esse fingebatur: adoptiui non item. post liberos patronorum, nepotes tam ex filio quam ex filia: deinde cognati patronorum seruata gradus prærogatiua vsque ad quintum, exclusis etiam heredibus extraneis à patrono scriptis. Eius Constitutionis ex qua & superiora quædã excerptimus Græcam Synopsin habuimus, singulari beneficio IAC. CUIACII, cuius humanitati, beneuolentiæ, diligentia, fidei, doctrinæ, ni & hæc & reliqua omnia studia mea, si quæ aliquando probabuntur, accepta referam, profecto parum gratus mihi ipsi videar. Nam peccata quidem si qua sunt, vt erunt fortasse multa, mea illa esse vltro profiteor.

Parentes.] Id est agnatos.

Manumissori.] etiam extraneo. Hodie vtique patri legitima iura seruantur quasi tacite contracta fiducia ex l. vlt. C. de emancipat. lib. Legitima autem iura definiuntur Constitutione illa Græca de Iure patronatus, triens ex testamento & bonorum possessio ab intestato: quod recte Constantinus notauerat lib. 3. Proch. tit. 9. & Synopsis illa continet, vt & aliud quoddam caput quod iam ex Græcis interpretibus didiceramus ad l. 45. D. de nupt.

Decem personas.] §. Quæ autem. Instit. de bon. possess.

Quibus decimæ immunitatem.] An decimæ hereditatum? an potius vicestimæ ex lege Iulia? Sic videtur. Nam quod apud Vlpianum legitur de decimis ex eiusdem principis lege quæ ob id decimaria Thalelæo dicta est libro 45. *Baron.* Tit. 5. ad hunc quidem locum non satis facit. Vicestimæ autem immunitas varie olim concessa est. Primum quidem domesticis heredibus, qui modo veteres essent ciues, remissum est vestigal de bonis quæ sanguine, gentilitate, sacrorum societate meruissent. Nerua sanxit vt quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis

bonis ad matrem peruenisset, etiamsi cognationum iura non recepissent cum ciuitatem adipiscerentur, eius vicesimam ne darent. Eandem patri inmunitatem in filij bonis tribuit, si modo reductus esset filius in patris potestatem, Traianus exceptionem illam patriæ potestatis remouit, statuitque vt quemadmodum in patris filius sic in hereditate filij pater esset inmunis. Caut præterea vt in sororis bonis frater, & contra in fratris soror, itemque auus auia in nepotis neptisque bonis, & inuicem illi seruarentur inunes. iis quoque quibus per nouum Latium ciuitas Romana patuisset, idem indulcit. Sed & statuit summam hereditatibus quæ vicesimæ subiacerent, ne vel paruæ & exiles publicanis essent obnoxia. Denique posteriores Imperatores varie huius vectigalis iura vel auxerunt, vel minuerunt. Verum quænam fuerit illa Constitutio cuius hic Vlpianus meminit, nondum mihi certo constat, vt esse fateor multa in hoc libello veteris iuris P. Ro. quæ me vel non satis ingeniosum facile fefellerunt, vel aliud interdum anxie cogitantem leuiter effugerunt. Quædam etiam consulto deposuisse satis fuit, quæ commodius fortasse, Deo volente, aliquando retractabimus.

* *

CVM in testamento.] Hanc vnam Modestini regulam ex alio codice qui patris V. C. fuit, pridem habuimus. Quæ sequuntur in eodem ipso exemplari erant in quo & superiora omnia. Itaque quanquam nobis pridem in animo esset & hæc alia quædam veterum Iurisperitorum fragmenta vno volumine complecti, altero Imperatorum Constitutiones, quas etiam plures nondum editas nacti sumus, concludere, hic tamen adiicere visum est interea dum res tempusque instituto nostro benignius adfuerint. Quod optare quidem quam sperare procliuius est.

No. de usur. supra dupl.] Desideratur hæc Nouella ordine cxxxviii. Videtur autem & eius meminisse Iustinianus in Nouell. Constit. cxxi.

Græca subsequitur.] Ea est Nou. c. lx. Hinc autem colligere est cur hæc tam facile inter Græcas Latina perierit.

De partiar. solut.] Deest hæc quidem in Iuliani Antecessoris Nouellarum epitome: sed extrahitur inter Authenticas Constit. cxxi.

De alienat. rer. Eccl. Misæ.] Est hæc Nouella Constitutio lxxv. quæ ab

Q

Inferio & Bulgaro cæterisque mediæ ætatis Iustinianæi iuris interpretibus in VIII. VI. vocarunt, Collationem reiecta fuerat, vt cætera ferre omnes quarum eis vsus aut nullus aut non vsque adeo necessarius videbatur, siue quod abrogatæ, siue quod chronicæ, aut locales essent. Nobis vero nihil superest veterum quod non vsui esse possit. Cæterum in eo Nouellarum seu Authenticarum Constitutionum exemplari vnde istam exscripsimus, sequebatur proxime No. XXXI. nec huius aliud caput, ne illud quidem ab Haloandro additum, quod ex Theodori interpretationibus irrepsisse Doctor meus admonuit.

De consiliariis Dictatum] Si legimus apud Gennadium Pomærij Dictatum de contemptu mundi. Fuit hoc eius sæculi verbum. Porro hæc quidem sacrosanctæ illius Iurisprudentiæ non sunt quæ Scævolas & Papinianos protulit, quibus vel ista tam proxime adiungere vereor ne sacrilegium plerique interpretentur. Ac ne notas quidem accuratiores mereri fateor. Sed adiumento tamen nobis erunt vel maximo, cum quod argumentum contineant quarundam Constitutionum quæ in Iustiniani Codice hæctenus desiderantur, tum quod ex his etiam quasi vnguiculis certius agnoscere possimus quæ fuerit eius ætatis ciuilibus scientia, cuius potissimum iudicio atque arbitrio ius conditum, collectum, compositum, digestum habemus.



Visum est tandem Puteano nostro hic adicere fragmentum illud Latinum toties à me laudatum, quod Græculus magister Omelii suis & Græcæ linguæ exercitationibus inter alia quædam ex aliis auctoribus initia librorum inseruerat. Græcam etiam interpretationem se quando vsui esse posset, certis tantum locis in margine addere libuit satis persuasus hæc potius ex Latinis Græca facta, quamquam sunt & quædam quæ Græcissimum magis referre uideantur. Porro facile est deprehendere multa ab ipso interprete, plura fortasse à librario omissa, quorum nos uacuum locum notula indicare satis habuimus, interea dum ex aliquo integriore exemplari ea iactura sarciantur.

IVRIS civilis vt quid^a appositivum appella-
 tur ex pluribus partibus constat.* Sed Consti-
 tutiones Imperatoris similiter honorandum quid
 est & Prætoris Edictum similiter vel Proconfu-
 lis.* Ex eo enim consenserunt peritum* & adsum-
 ptus ex responsis ista dicere. Lex enim ceteræ par-
 tes iusti appellantur.* Regulas enim ex sequenti
 mihi ad ea studia necessarium ante omnia scire.
 *Nec enim vnus sunt conditionis, sed variæ.
 Quæ singula pertinentia ad hanc narrationem
 referenda sunt in ordine. Omnes enim aut inge-
 nui sunt, aut liberti.* Sed vt magis possint singu-
 la declarari, melius videtur incipere à libertis^b de
 Latinis scribere ne sapius eadē interpretari.* Pri-
 mum ergo videamus quale est quod dicitur eos
 qui inter amicos^c veteres manumittebantur non
 esse liberos, sed domini voluntate in libertate
 morari, & tantum seruiendi metu dimitti. Antea
 enim vna libertas erat^d vindicta, vel testimonio,
 vel in censu: & ciuitas Romana competit manu-
 missis, quæ appellatur legitima libertas. Hi au-
 tem qui domini voluntate in^e libertate erant,
 manebant serui, & manumissores audebant in
 seruitutē denuo eos per vim ducere: Interuenie-
 bat Prætor & non permittebat manumissum ser-
 uire. Omnia tamen tanquam seruus adquirebat
 manumissori, ^f vel si quid stipulabatur, vel si per

a ἐπιθετικῶν
 Videntur autē
 hæc esse inter
 pretis potius
 quam aucto-
 ris.

b ἐπιθετικῶν
 ἢ ἄλλων.

c For. apud
 ueteres.

d ἐν τῷ νόμῳ
 γὰρ ἡ νόστος εἶναι
 ἐστὶν ἡ ἐν τῷ νόμῳ
 τῷ νόμῳ. Cic. in
 Top. Boet.
e Quint. Dec.
 340. et 341.

f ἡ δὲ ἐπιθετικὴ
 τῷ ἡ νόστος εἶναι
 ἐστὶν ἡ ἐν τῷ νόμῳ
 τῷ νόμῳ.

scripturam acceperat, vel ex quacuncq; causa alia
 adquisierat, domini hoc faciebat: * hoc est manu-
 missi ad patronum pertinebat. § Sed nunc ha-
 bent propriam libertatem qui inter amicos ma-
 numittuntur, & fiunt Latini Iuniani: quoniam
 lex Iunia quę libertatem eis dedit, ^b exequauit eos
 Latinis colonariis qui tunc erant ciues Roma-
 norum, & nomen suum in ciuitatem dederant. In
 his qui inter amicos manumittuntur voluntas
 domini ⁱ spectatur * quę iubet eos fieri Latinos
 quos dominus liberos esse voluit. ^l Hoc tamen
 cum ita habeant debet ^m promissum manumit-
 tentis habere dominus. Vnde si per vim coactus
 verbi gratia ab aliquo vel ab vnoquoque ⁿ ho-
 minum manumiserit, non veniet seruus ad liber-
 tatem: quia non intelligitur voluisse qui coactus
 manumisit. Similiter vt possit habere libertatem
 talis esse debet, vt Prætor eius vel Procōsule * ad
 aliū pertinere non potest vindicta manumittere
 obstante vsufructu, & si manumiserit eum vindi-
 cta, faciet seruum sine domino *^o sed Latinū. ^p Pe-
 regrinus manumittes seruū non potest Latinum
 facere, quoniā lex Iunia quę Latinorū genus in-
 duxit, nō pertinet ad peregrinos, sicut & ^q Octa-
 uianus probat. Prætor non permittit manumissū
 seruire, nisi aliter lege ^r peregrina confirmatū fue-

§ Caius lib. 1.
 Inst. Vlp. tit. 1.
 Seneca in lib.
 de Vita bea-
 ta.
 h Vlp. tit. 19.
 i For. spectatur
 ex lege Iunia.
 quę
 l τὸ δὲ τὸ ἰ-
 χυρτὸς ἐγγλῶ-
 σιν ἠποδύει-
 σιν Ἐ.
 m propositum
 siue animum.
 n vt à populo
 l. 17. D. Qui
 ē à quib. ma-
 nu. liber nō fi.
 Sed hæc nescio
 quomodo Græ-
 cissimum magis
 redolent. ὁ νό-
 τος δὲ ἰσπῶτι
 v. ἰσπῶτις αὐ-
 τῶν πτωχῶν.
 o Vlp. tit. 1. l.
 1. C. Com. de
 manumiss.
 Hæc non per-
 tinent ad supe-
 riora. Nā tan-
 tum abest ut il-
 le seruus sine
 domino Lati-
 nus sit, ut con-

tra uiuat quodammodo seruus quamdiu quidem durat ususfructus, moriatur uero ut liber.
 p ξένος q Leg Octavianus probat, at Prætor. r ἰλλοίωσις.

rit. Minor viginti annorū manumittere nec vindicta potest, nec testamento. Itaque nec Latinū facere potest. Tantum autem apud consilium potest manumittere. seruum suum. causa probata. Hic autem qui manumittitur quocumq; sit annorum, Latinus fit, & solum ei hoc procedit libertas, vt iterum manumitti possit & ciuis Romanus fieri. Mulier sine tutoris auctoritate nisi liberorum ius habeat. Tunc enim ex vindicta sine tutore potest manumittere. Vnde si mulier absens liberum esse iusserit quæ ius liberorum non habet, quæsitum est si tutores eius auctoritatem commodent eo tempore quo epistula scribitur seruo à domina. Iulianus negat. Existimat enim eo tempore debere auctoritatem præstare in quo peragitur libertas. Tunc enim peragi intelligitur, quando seruus cognouerit domine voluntatem. Sed Neratius Proclus probat libertatem seruo competere. Sufficere enim quando epistula scribitur, adhiberi auctoritatem tutoris. Cuius sententia & cōstitutione Imperatoria confirmata est. Seruum pigneri datum ciuem Romanum facere debitor non potest, nisi si soluendo non sit. Obstat enim libertati lex Ælia Sentia quæ vetat seruum sceneratorum causa manumissum ciuem Romanum fieri, sed Latinum. Et qui incensum manumittitur si triginta annos habeat, ciuitate Romana pascitur. Census tamen Romæ

s ad hoc rōt.

t Vlp. tit. 1.

u Idem Vlp. tit. 1.

x Plut. in Numma.

y Manumissionis per epistolam usque sunt in l. 38. D. de adq. pos. et apud Caium lib. 1. Inst. x an epistula.

a Priscus.

b iuris de iur. & iur. de iur. For. Nisi si soluendo sit.

For. Nisi si soluendo sit. contra tamen Paulus in l. 9. D. de manumiss.


c. An epistula de iur. F. C. id est fraudandorum creditorum, ut in l. 3. D. Qui et à quib. man. d. potitur. ut in l. 1.

e nunciis ad
 uobis quorū fr-
 au Aſcon. in
 Ver.
 f uobis p̄tra.
 g in Auctis
 nupias.
 h Cic. 1. de
 Orat. leg. ndū
 uero, utrum co.
 Interpres ta-
 men ineptiſti-
 me iuxta p̄uolū-
 que potiffima
 ratio eſt cur
 hæc potius ex
 Latinis Græ-
 ca facta exiſti-
 mem
 i ἀντιπαρὰ.

agi ſolet. ^e Cenus autem luſtro conditur. Eſt au-
 tem luſtrū quinquennale tempus quo Roma lu-
 ſtratur. Sed debet hic ſeruus ^ſ ex iure Quiritium
 manumittentis eſſe vt ciuis Romanus fieri poſ-
 ſit. Magna tamen diſſenſio inter prudentes ^h vtro
 meo tempore vires accipiant omnia, in quo cen-
 ſus, an eo tempore in quo luſtrum conditur. Exi-
 ſtimant enim cenſum descendere ad diem luſtri,
 nō luſtrum decurrere ad diem cenſus. Propterea
 quaſitum eſt * quia omnia cenſu aguntur, luſtro
 confirmantur. Sed in ciuitate Romana tantum
 cenſum agi declaratum eſt: In prouinciis autem
 magis ⁱ profelſionibus vtuntur. * *

*Haſtenus Vetus exemplar. Quæ ſequēbantur alterius plane erant
 generis, nec ad ius Ro. quicquam pertinebant.*

BASILEÆ, PER THOMAM
 GVARINVM, ANNO SALV-
 tis humanæ M. D. LXXIIII,



Rep. s. 7 q. oblige huc
si non aliud de p. 6
appellans) alius de p. 6
ne uiam. Item
ac habet p. ante. huc